INSECTORUM
LIGURIÆ
SPECIES NOVÆ AUT RARIORES.

INSECTORUM

LIGURIÆ

SPECIES NOVÆ AUT RARIORES,

QUAS

IN AGRO LIGUSTICO NUPER DETEXIT,

DESCRIPSIT, ET ICONIBUS ILLUSTRAVIT

MAXIMILIANUS SPINOLA,

ADJECTO CATALOGO SPECIERUM AUCTORIBUS JAM ENUMERATARUM,

QUÆ IN EADEM REGIONE PASSIM OCCURRUNT.

TOM. II.us

FASCICULOS 2.um 3.um ET 4.um SISTIT.

GENUÆ,

SUMPTIBUS AUCTORIS. TYPIS YVONIS GRAVIER.

1808.

INSECTORUM LIGURIÆ

SPECIES NOVÆ

AUT RARIORES.

FASCICULUS 2.^us^

Fasciculo primo mox evulgato plures accepi libros ad Entomologiam spectantes quorum et infra occurrit catalogus.

ENTOMOLOGIE HELVÉTIQUE, ou catalogue des insectes de la Suisse, 2.e *vol.* Zurich, 1806.

LATREILLE, genera crustaceorum et insectorum. Parisiis 1807. tom. 2.e et 3.e

PANZER, faunæ insectorum initia. Fasciculi 101, nullo deficiente.

—— Kritische revision des insekten-faune, etc. Nuremberg 1806, *in*-12.

OLIVIER, Entomologie ou histoire naturelle des insectes, 4 *vol. in*-4.° Paris 1789. —— 1795.

SCHŒFFER. Icones insectorum circa Ratisbonam indigenarum. Ratisbonæ. 3 *vol. in*-4.°, 1791.

JURINE. Nouvelle méthode de classer les hyménoptères et les dyptères. *tom.* 1.er Hyménoptères. 1 *vol.* 4.°; Genève, 1807.

LASPERES. Sesiæ Europeæ iconibus et descriptionibus illustratæ. Berolini. 1801.

WOLFF. Icones cimicum descriptionibus illustratæ. Erlangæ, 1800. —— 1804. 1 —— 4. fasc.

GRAVENHORST. Monographia coleopterorum micropterorum. Gottingæ, 1806. 1 *vol. in*-8.°

SCHŒLLEMBERG cimicum in Helvetiæ aquis et terris degentium genus in familias redactum. Turici 1800 1 *vol. in.* 8.°

SCHON-HERR. Synonimia insectorum. Stockholm 1806. 1 *vol. in*-8.°

LISTER. Historiæ animalium Angliæ tres tractatus. Londini, 1678, 1 *vol. in*-4.°

WALCKENAER, Histoire des araneïdes, 2.e Livraison.

ANNALES du museum d'histoire naturelle. *tom.* 7.e et 8.e

CHRIST. Naturgeschichte klasification und nomenclatur der insekten-bienen, wespen und ameisengeschlechte, Frankf, 1791 4°

INSECTORUM LIGURIÆ

SPECIES NOVÆ AUT RARIORES.

GENERA RECENTIORA

EX HYMENOPTERORUM PIEZATORUMVE CLASSI.

1.° G. Polochrum. — Hujusce operis in primo fasciculo characteres essentiales liquidò explanavi. Absque dubio ad Scolietas Polochra pertinent a Sapygis vix distincta. Alis omnino et quasi instrumentis cibariis cum ipsis conveniunt. Differentiæ præcipuæ ex habitu antennis et maxillis desumuntur.

Polochra.	*Sapygæ.*
Maxillarum processus terminalis membrana-	Maxillarum processus terminalis brevis, ro-

ceus, attenuatus, vaginans, margine extimo valde ciliatus.

tundatus, obtegens, vix membranaceus.

Antennæ filiformes, articulis longitudine subæqualibus, gradatim decrescentibus, 1.° maximo, 2.° minimo.

Antennæ filiformes, articulo 1.° valde longiore, reliquis subæqualibus extrorsum crassioribus.

Corpus magnum, neutiquam cylindricum.

Corpus elongatum cylindricum.

Thorax angulis anterioribus rotundatis.

Thorax angulis anterioribus acutis et anticè porrectis.

In maribus, genitalia nullomodo spinulis productilibus cooperta.

In maribus, spinula bifida lunata ad genitalium munimentum quandoque exserta, quandoque abscondita.

G. Polochrum in systemate jurineano non

admittendum, sed si introducendi characteres antennis ore totoque corpore suppeditati, genus hoc in ordine naturali sedem reposcit peculiarem.

2.° G. RYGCHIUM. Prætermissis innumeris characteribus secundaneis, instrumenta cibaria optimam inter Eumènes et Rygchia præbent differentiam.

Rygchia.	*Eumenes.*
Processus terminalis maxillarum lobo intermedio duplo longior.	Processus terminalis maxillarum lobum intermedium longitudine œquans.

3.° G. STILBUM.— *Chrysis calens* (Fab.) typus habeatur hujus novi generis cui videtur quoque amandanda *Chrysis splendida* (Fab.)

Instrumenta cibaria. — *Mandibulœ* triangulares, acutæ, latere interno absque ullâ emarginaturâ. *Labrum superius* corneum breve rotundatum. *Palpi* quatuor inæquales: *maxillares* quinque- articulati,

in emarginaturâ membranaceâ maxillæ inter processsum terminalem et lobum. intermedium. inserti: *labiales* triarticulati (articulo 1.° longiore) labio breviores, apici menti adnati : *Maxillæ* cum labio et mento valde productiles : pars maxillarum basilaris conspicua, rotundata, dimidiatim membranacea et cornea: lobus intermedius corneus, mentum vaginans; processus terminalis pariter corneus, exilis, latere interno concavus, apice acutus; labium vaginans. *Mentum* rufum, corneum, apice rotundatum vel rarius truncatum. *Labium inferius* simplex, membranaceum, sœpius in specimine vivo ultra mandibulas porrectum, maxillis palpisque longius, basi coarctatum apice dilatatum, cordatum; margine externo profundè et acutè emarginato, laciniis rotundatis conniventibus.

Alarum cellulæ — *Cellula radialis* unica magna, elongata, incompleta. *Cellula cubitalis* una, magna, coarctata, nervum recurrentem medio excipit, et alæ marginem non attingit. Nervus

secundus recurrens deest. Prodit contra a puncto nervus supernumerarius ferè obsoletus, cellulam cubitalem dimidiatim dividens et marginem alæ non attingens.

Antennæ filiformes, post articulum primum infractæ, 13.—articulatæ: articulo 1.° valdè longiore: reliquis subæqualibus brevibus, cylindricis, intermediis paulò crassioribus.

Characteres empyrici. — Clypeum longitudinaliter sulcatum. Frons excavata, foveà frontali cui oculi anteriores insident rotundatâ et circulari. Scutellum prominulum, supra concavum. Abdomen segmentis tribus constat: segmento secondo maximo, gibboso: tertio sulcis duobus transversè exarato, primo simplici, altero punctato, margine postico spinoso.

Ex. — *Chrysis calens*. Fab. — *Chrysis splendida?* Fab.

4.° G. APORUS facie Pompili sed omnino diversum.

Instrumenta cibaria. — *Mandibulæ* validæ, arcuatæ, tridentatæ: dentibus acutis; exteriore maximo atque magis producto. *Labrum*

superius, corneum, detectum, breve, latum, margine vix emarginatum. *Palpi* quatuor inæquales, filiformes : *maxillares* sex-articulati, articulis 1.° 2.° et 3.° paulò incrassatis, reliquis tenuioribus subcylindricis : *labiales* quadriarticulati. *Maxillæ* corneæ : processu terminali obtegente, vix membranaceo, margine villosiusculo, supra transuersè sulcato, subbifido. *Mentum* corneum, apice integrum. *Labium* membranaceum tripartitum ; divisione intermediâ majore, apice emarginatâ : laciniis lateralibus brevioribus linearibus.

Alarum cellulæ. — *Cellula radialis* una, rotundata, mediæ magnitudinis. *Cellulæ cubitales*, tres : 1.ª magna : 2.ª minima excipit primum nervum recurrentem : 3.ª magna ad alæ marginem accedit. Nervus 2.us recurrens cum altero nervo coalescit cellulas 2.m et 3.m cubitales separante.

Antennæ filiformes 13 — articulatæ in maribus, 12 articulatæ in fæminis : articulo 1.° incrassato : 2.° brevissimo minimo : 3.° præcedente vix duplo longiore : reliquis subæqualibus, cylindricis, gradatim decrescentibus.

Pompili

Pompili differunt: 1.° mandibulis unidentatis vel apice bifidis, nunquam tridentatis: 2.° maxillarum processu terminali integro, absque sulco transversali: 3.° alarum cellulis cubitalibus quatuor: 4.° antennarum articulo tertio præcedente quadruplo longiore. *Ex. Aporus unicolor, mihi.* — *Aporus bicolor, mihi.*

5.° G. HERIADES. Palporum maxillarium differentiæ quoad articulorum numerum, meo judicio, in Fabriciano systemate nimis essentiales, ut novum genus condendum non repetant, qua de causâ, *Megachilium* divisiones in totidem genera redegi ut et infra.

1.° *Megachiles*, palpis maxillaribus quadriarticulatis. — G. OSMIA *Panzer*, quod genus subdividi potest.

1. Fæminarum frons cornigera. Ex. *Osmia cornuta, bicornis, cornigera, fronticornis, Panz. Osmia Latreillii, mihi*, etc.

2.° Fœminarum frons absque cornu: mandibulæ quadridentatæ.

Ex. *Apis leaiana, Kirby, Osm. gallarum, melanogaster, mihi*, etc.

3.° Fæminarum frons absque cornu : mandibulæ tridentatæ. *Ex. Osmia cœrulescens, Panz. melanippa, mihi.*

2.° *Megachiles* palpis maxillaribus triarticulatis. G. MEGACHILE, subdividatur.

1.° Cellula secunda cubitalis nervum secundum recurrentem solummodo excipiens. *Ex. Anthidia* pleraque Fabriciana et Panzeriana. — *Trachusarum fam.* 2.ª Jur. — *Megachiles cardariœ* Latr.

2.° Cellula 2.ª cubitalis nervos duos recurrentes excipiens : Ex. *G. Anthophora.* Panz. — *Megachiles phyllocopœ.* Lat.

3.° *Megachiles* palpis maxillaribus biarticulatis. G. HERIADES. mihi.

4.° *Megachiles* palpis maxillaribus 6. — articulatis. G. ROPHITES. mihi.

Etsi D. Panzer Heriadibus meis palpos tribuat triarticulatos, species cunctæ oculo bene armato pluries observatæ duos tantum articulos mihi prœbuerunt, subæquales, pauló incrassatos. *Mandibulœ* in maribus sœpius acutæ edentulæ, in fæminis bidentatæ vel tridentatæ. Cætera *instrumenta*

cibaria ut in Osmiis et in Megachilibus. *Alarum cellulæ* ut in Trachusarum familia primâ. *V. Jur. Antennæ* post articulum primum infractæ ; articulo 1.° longiore , 2.° et 3.° longitudine crassitieque subæqualibus. Heriadum habeantur divisiones duo sequentes.

1.° Abdomen cylindricum, fæminarum ventre lanâ induto.

Ex. Megachile florisomnis , campanularum , truncorum , Latr. — Heriades pusilla , sinuata , mihi.

2.° Abdomen conicum , fæminarum ventre sub-nudo.

Ex. *Megachile conica. Lats. — Trachusa cincta jur.*

Megachiles glabriusculæ Latr. mihi invisæ , fortè ad G. Heriades amandandæ , ni potius ventre sub-nudo satis distinctæ atque moribus diversæ cum secundâ Heriadum divisione redigendæ videantur in peculiare genus cujus nomen erit G. GYMNUS. Confer cum *Steli aterrimâ*, *Panz.*

6.° G. ROPHITES. —*Instrumenta cibaria.*—*Palpi*

quatuor inæquales : *maxillares* sex-articulati, filiformes, articulis subcylindricis, 1.° et 2.° longitudine et crassitie majoribus, 3.° et 4.° paulò minoribus, 5.° et 6.° valde tenuioribus, ultimo breviore : *labiales* quadriarticulati ; articulis 1.° et 2.° æqualibus, maxilliformibus, intus concavis, labium vaginantibus; tertio dimidio breviore, depresso complanato : 4.° brevissimo, obliquè inserto, obconico. *Maxillæ* cum mento et labio inflexæ, labio paulò breviores, medio palpigeræ. *Mentum* apice rotundatum. *Labium* (vel lingua) tripartitum; divisione intermediâ lineari, valde longiore, membranaceâ, villosiusculâ, aristâ vix conspicuâ terminali : setis lateralibus duplo brevioribus, linearibus, acutis.

Alæ ut in Trachusarum familiâ primâ. (V. Jur.)

Antennæ in maribus 13-articulatæ filiformes : articulo 1.° maximo, 2.° minimo, reliquis cylindricis snbæqualibus, ultimo acuminato.

SPECIES NOVÆ AUT RARIORES.

N.° XIX. HYLOTOMA THORACICA.

Hylotoma atro-cœrulea thoracis dorso splendidè rubro.

Habitat passim in totâ liguriâ.

Long. 3, 1/2 Lin. Lat. 1. 1/2 Lin.

Hæc species nostras antennarum formâ ad Hylotomas Latreilleanas, alarum cellulis ad Cryptos Jurineanospertinet, et inter Hylotomas Fabricianas antennis inarticulatis extrorsum crassioribus enumeratur. Antennæ nigræ, villosiusculæ. Caput nigro cæruleum ; oculis fuscis ; mandibulis palpisque nigris. Thorax, lobo antico metathorace cenchris pectoreque nigro cæruleis : lobo intermedio splendidè rubro. Abdomen nigro cæruleum. Pedes, femoribus nigris extus cæruleo micantibus, titiis tarsisque atris. Alæ

obscuræ, puncto nervisque nigris. Cellula radialis nervo appendiceo instructa ut in plerisque cryptis jurineanis, sed non in omnibus, nam prædictus nervus deest in *Cryptis furcato* et *angelicœ*.

Hylotoma thoracica apud nos frequenter occurrit, attamen feminas tantummodo hactenus inveni, maribus adhuc invisis. Nonne speciosa varietas *Hyl. enodis*?

N.° XX. TENTHREDO ERYTHROGONA.

Tenthredo nigra, abdominis segmentis intermediis genubusque rubris.

Habitat in agro arquatensi, rarior.

Lon. 3. 1/2 Lin. Lat. 1. Lin.

Antennæ nigræ, 9. — articulatæ, corpore dimidio longiores. Caput nigrum, labio in utroque sexu concolore; mandibulis tridentatis. Thorax niger, villosus, pube rarissimâ atque brevissimâ albidâ. Abdomen elongatum, cylindricum, segmento anteriore nigro, intermediis tribus rubris, posticis nigris: ventre cnm dorso concolore. Pedes quatuor antici nigri, genubus id-est apice femorum tibiarumque basi rubris

postici, cruribus tarsisque nigris, femoribus tibiisque rubris. Alæ hyalinæ : superiores fuscescentes, puncto nervisque nigris : cellulis radialibus 2, cubitalibus 3. —*Dolerus*. Jur.

A *Tenth. erythrogona* Schranchii eâdem ac *Tenth. gonagrâ* (Fab. Jur.) species nostras staturâ paulò minore abdomineque medio rubro profectò distincta.

N.° XXI.

N.° XXI. TENTHREDO SIMILIS.

TENTHREDO nigra, pedibus anticis extùs albidis.

Habitat passim in totâ Liguriâ.

Long. 4. $^{1}|_{2}$ lin. Lat. 1. lin.

Corpus totum cum antennis nigrum. Pedes antici, facie externâ albicante, internâ nigrâ: intermedii nigri, genubus albidis; postici toti nigri. Alæ fuscescentes, cellulis radialibus et cubitalibus ùt in Atlantis jurineanis.

Magnitudine et staturâ *Tenth. blandam* Fab. œmulat, et ejusdem meram varietatem existimo. Sed hæc varietas nostras locum habeat in nostrâ sylvâ, commentaria ad entomologiam amplectente, quòd in Liguriâ constans atque frequens, speciem distinctam simulat, et notatu digna, entomophylos monet

abdominis colorem malè tutum esse Tenthredinnum characterem specificum.

Specimen in meâ collectione exstat, fæmina, cujus segmenta dorsalia 2.^m^ et 3.^m^ utrinque ad rubrum vergunt.

N.° XXII. TENTHREDO DORSALIS.

TENTREDO nigra, capite thoraceque maculatis, abdominis segmentis intermediis rufis nigro punctatis.

Propè Novas in tithimalo capta, apud nos admodùm rara.

Long. 5. Lin. Lat. 1. 1/2 Lin.

Fœmina. Antennæ supra nigræ subtùs testaceæ. Caput nigrum, clypeo, labio superiore, mandibulis, palpis, lineolis duabus utrinque in fronte, maculis duabus ponè oculos, albis. Thorax niger, lincolâ arcuatâ utrinque in margine antico, maculâ scutellari cenchrisque albidis. Abdomen nigrum; segmentis 3.° 4.° 5.° et 6.° rubro testaceis, puncto medio nigro notatis, subtus maculis duabus nigris vittas 2.

longitudinales efformantibus. Pedes rufi, cruribus nigris extùs albo maculatis, alæ flavescentes; puncto obscuriore, maculâ albâ.

Mas huc usque invisus.

N.° XXIII. TENTHREDO PALLIPES.

TENTHREDO nigra, pedibus pallidis pellucidis.

In montibus Orerii capta.

Long. 2. 1/2 Lin. Lat. 2/3 Lin.

Hanc speciem nullibi reperies adamussim descriptam. Noli eam confundere, cum *Tenth. Morio Fab.* Hæc est Atlantus apud D. Jurine, illa Dolerus. Antennæ nigræ, novemnodiæ, corpore paulò breviores. Corpus totum nigrum, puncto calloso ante alas cenchrisque albis. Pedes pallidi pellucidi. Alæ hyalinæ, puncto nervisque nigris, cellulis ut in Dolerorum famaliâ secundâ.

Mas, descriptionis exemplar.

Fœmina paulò major, coloribus simillima. Confer cum *Tenth. cerasi Fab.* Quoad staturam cum figurâ Realmurianâ convenit, sed in nostris speciminibus scutellum thoraci concolor nunquam albescit.

N.° XXIV. NEMATUS HAMMORHOIDALIS.

NEMATUS niger, ano pedibusque pallidis.

In agro Arquatensi inventus, rarissimus.

Long. 4. 1/2 Lin. Lat. 1. Lin.

Mas. Antennæ nigræ longitudine corporis. Caput, clypeo, mandibularum basi, maculâ utrinque ponè oculos, albis. Thorax niger, puncto calloso ante alas flavo. Abdomen nigrum; ultimi segmenti margine albido; ventre nigro, apice albo. Pedes pallidi, cruribus femorumque basi nigris. Alæ hyalinæ.

Fœmina mihi invisa, fortè coloribus diversa et sub alio nomine jam evulgata.

OBSERVATIO. Vetus G. *Tenthredo* Lin., propter magnum europæarum specierum numerum certè dividendum videbitur: sed instrumenta cibaria,

exceptis mandibulis, nullum præbebunt divisionum fundamentum, nam ferè eadem in omnibus Tenthredinetis. Alarum cellulæ, si solæ adhibitæ, ordinem naturalem intersecant. Mandibulæ et antennæ, solæ ad genera optima condenda sufficient, et cellulæ radiales vel cubitales generum familias peculiares constituent.

1.° G. CIMBEX. Datis reliquis Tenthredinetarum characteribus. *Antennæ capitatæ, ultimo articulo maximo.*

2.° G. HYLOTOMA. *Antennæ triarticulatæ, extrorsum crassiores.*

3.° G. LOPHYRUS. *Antennæ pectinatæ vel ramosæ*, (saltem in maribus.)

4.° G. TENTHREDO. *Antennæ filiformes novemnodiæ. Mandibulæ calcaratæ, latere interno tridentato.*

Fam.a 1.a *Cellulæ radiales* 2. *cubitales* 4. Ex. *Atlanti, jur.*

Fam.a 2.a *Cellulæ radiales* 2. *cubitales* 3. —Ex. perpauci *Doleri. Jur.*

5.° G. NEMATUS. *Antennæ filiformes, novemnodiæ.*

Mandibulœ absque calcare , latere interno vel inermi vel unidentato.

Fam.[a] 1.[a] *Cellulœ radiales* 2. *cubitales* 4. Ex. *Atlanti. Jur. — Hylotomœ antennis septennodiis. Fab.* Ad hanc familiam accedat *Hylotoma ventralis* , *mihi.*

Fam.[a] 2.[a] *Cellulœ radiales* 2. *cubitales* 3. Ex. reliqui *Doleri. Jur.*

Fam.[a] 3.[a] *Cellulœ radialis* 1. *cubitales* 4. Ex. *G. Nematus. Jur.*

Fam.[a] 4.[a] *Cellula radialis* 1. *Cellulœ cubitales* 3. Ex. *Pteroni. Jur.* familiæ 2.[a] et 5.[a]

6.° G. LYDA. *Antennœ setaceœ multi articulateœ.*

N.° XXV.

N.° XXV. FIGITES RUFICORNIS.

FIGITES nigra, antennis capiteque testaceis.

Habitat in Liguriâ, in gallâ tinctoriâ.

Long. 1. 1/2 lin. Lat. 1/2 lin.

Antennæ 14-articulatæ, corpore vix breviores, testaceæ. Caput testaceum, mandibularum margine interno, maculâ verticis cui ocelli insident, nigris. Thorax niger, lævissimè pubescens, villis oculo nudo vix conspicuis: lineæ tres tenuissimæ paulò elevatæ a lobo antico prodeunt et cum lobo intermedio terminantur. Scutellum porrectum, obtusum, absque lineis elevatis et foris in reliquis Figitibus D.no Jurine observatis. Abdomen læve, nitidum, nigrum, lateraliter compressum, segmento primo maximo reliquos obtegente: fæminæ terebrâ involutâ, seorsùm reflexâ, conspicuâ. Pedes

testacei, cruribus fæmoribusque nigro latè maculatis. Alæ hyalinæ.

Cynips ruficornis. Rossi. Mant. 2. App. 107. 66. hoc ad genus pertinet; sed distinctam reputo scutello tricarinato et capite nigro. *Figites abbreviator* Jur. non modò antennis capiteque nigris, sed etiam scutello profundè excavato, pariter distinguitur.

Gallam tinctoriam apud nos raram in montibus Orerii post multas disquisitiones tandem inveni, et cum Cynipede gallæ auctore plures reperi insectorum species quarum mores adhuc latebant ignoti. Vidi *Anthribum scabrosum, Curculiones* varios, *Formicam barbaram* fæminam alis amissis, *Figitem abbreviatorem,* et nostrum *Figitem ruficornem.* Figitium larvæ plurimæ in eâdem gallâ ferè gregariæ habitant, et in domunculâ oblongâ sese condunt Cynipedis casulæ basi affixâ, paretibus ferè ligneis, quibus, ipsâ legitimi domini casulâ undique coarctatâ, animalculum infelix, loco deficiente, immaturè perit. Figites contra larvis Scatophagarum et aliorum

Dypterorum victitantes, prosperè metamorphosibus subeunt et gallæ auctores primo introitu facillimè repræsentant. Imagines pluries cepi in excrementis humanis atque bovinis.

Insectum nostras confer cum *Cynipede erythrocephalo. Jur.* Aculeo involuto cellulisque tribus cubitalibus ad Cynipedes accedit, sed mores habet communes cum reliquis Figitibus.

N.° XXVI. CRYSIS ANALIS.

Criysis viridi-cærulea, abdomine aureo, ano cæruleo quadridentato.

Habitat passim in Liguriâ, haud infrequens.

Long. 4. lin. Lat. 1. 1/2 lin.

Antennæ nigræ. Caput cæruleum, oculis mandibulisque nigris. Thorax cæruleus, interdùm viridi-micans: scutellum neutiquam porrectum. Abdomen aureum, ano seu abdominis apice cæruleo quadridentato: ventre viridi. Pedes cærulei, tibiis tarsisque nigris subtùs testaceis. Corpus totum, ut in reliquis cospeciebus, nitore metallico splendens, punctatissimum, punctis excavatis. Alæ fuscescentes.

Confer cum *Chryside ignitâ*. Meo judicio, species distintca.

Observatio. Apud Chrysides omnes, abdomen segmentis tribus constat; sed tertium vel ultimum

sulco punctato transversè divisum duplex videtur. Pars posterior, *Anus* apud D. Fabricius, abdominis *Apex* apud D. Lepeletier, et mihi, brevitatis causâ, *Segmentum quartum*. Vid. *Ins. lig. fasc.* 1 *pag.* 9 *et* 10.

N.° XXVII. CHRYSIS PULCHELLA.

Chrysis viridi-cærulea, thorace anticè abdomineque aureis, ano triemarginato.

Habitat *in* agro Arquatensi, rara.

Long. 3. Lin. Lat. 1. ¹|₂ Lin.

Antennæ nigræ. Caput cæruleum, maculâ latâ inter oculos viridi-micante. Thorax anticè aureus, posticè viridi-cæruleus: pleuris pectoreque cæruleis. Abdomen aureum, splendidum; ano triemarginato, dentibus retusis: ventre viridi. Pedes cærulei, tibiarum apice tarsisque intùs pallidis. Alæ fuscescentes.

Confer cum *Chrys. bidentatâ.* Differt segmento 3.° toto aureo. Species distincta mihi videtur, nam, neglectis hisce manifestis colorum differentiis, cur *Chrysides ignita, fulgida, splendidula, analis, stoudera* varietates ejusdem speciei non haberentur? Partium corporis proportionibus

conveniunt, et si magnitudine differunt, exemplaria variæ magnitudinis frequenter in eâdem specie occurrunt. Color plus minusve saturatus, ad separandas species aliis notis similes, fateor, non sufficit, sed qui prætermittet regularem colorum distributionem, maculas, fascias transversales, vittas longitudinales, etc. et de exspectando non dignabitur propriæ sententiæ documenta, nempè viam citò amittet species a varietatibus discernendi.

N.° XXVIII. CHRYSIS CORONATA.

CHRYSIS viridi-cærulæa, abdomine anticè aureo, ano viridi triemarginato.

Habitat propè Novas, rara.

Magnitudo præcedentis. Antennæ nigræ. Caput viride, maculâ cærulæâ verticali. Thorax viridis. Abdomen, segmentis duobus anterioribus aureis, 3.° toto viridi, margine postico triemarginato. Corpus subtùs cæruleum. Pedes concolores, tarsis pallidis. Alæ fuscæ.

Noli confundere cum *Chrys. splendidulâ* Rossi, quæ differt thorace quadrifasciato, fasciis alternatìm viridibus et cæruleis, segmento tertio quadrispinoso, cæruleo, spinulis productis acutis, staturâ tandem in plerisque speciminibus dimidio minore.

N.° XXIX. TACHUS DIMIDIATUS.

TACHUS niger, thorace capiteque anticè rubro-testaceis, abdomine punctis albis.

Habitat propè Genuam, rarus.

Long. 4. lin. Lat. 1. lin.

Pulcherrima species adhuc inedita. Antennæ moniliformes; articulis distinctis 12 in *Fœminâ*, 13 in *Mare*; articulis 1.° 2.° et 3.° nigris, reliquis ferrugineis. Caput rubro-testaceum, ore mandibulisque concoloribus, oculis et ocellis nigris, oculis ovatis, loco ocellorum in *Mare* punctis tribus impressis. Thorax, pilis paucis anticè rarò dissitis: lobo antico toto rubro testaceo; lobo medio supra rubro testaceo, subtùs nigro: lobo postico seu scutellari toto nigro. Abdomen 6-annulatum in *Fœminâ*, 7-annulatum in *Mare*, nigrum: segmentis 2.° 3.° et 4.° in *Fœminâ* utrinque albo punctatis, quarto

5

segmento in *Mare* immaculato, sexto et ultimo in *Fœminâ* paulò incurvo, 7.° in *Mare* spinulâ armato brevi, arcuatâ, acutâ, seorsùm reflexâ ùt in Tiphiis et in Myzinibus. Pedes ferruginei, femoribus nigris. Alæ obscuræ.

Specimina duo tantùm, marem cum fæminâ cepi, in sabuletis propè Genuam.

N.° XXX. APORUS UNICOLOR.

Aporus ater, alis obscuris.

Habitat in Liguriâ, haud infrequens.

Long. 3. lin. Lat. 1. lin.

Explanatis generis characteribus, pauca de specie addenda remanent. Corpus nigrum : villis argenteis in thorace, præsertìm in lobo scutellari. Pedes postici magis elongati. Facies Pompili nigri simulans observatorem decipiet ni alas et orem animadvertat. Mas hactenùs solus observatus.

N.º XXXI. APORUS BICOLOR.

APORUS ater, abdominis segmentis tribus anterioribus saturatè rubris.

Habitat in Liguriâ cum præcedente.

Abludit ab *Aporo unicolore* staturâ paulò majore, alis obscurioribus, abdominisque segmentis tribus anterioribus saturatè rubris quasi ferrugineis, interdùm margine nigris. Mares adhuc invisi. *Aporus bicolor*, nonne præcedentis alter sexus?

N.° XXXII. POMPILUS TRIPUNCTATUS.

Pompilus niger, abdomine maculis tribus nigris.

Habitat in Liguriâ, haud infrequens.

Long. 5. lin. Lat. $^{3}|_{4}$ lin.

Cum *Pomp. bipunctato Fab.* facilè confundendus, at distinctus.

Fœmina.—Antennæ nigræ. Caput cum thorace concolor. Abdomen quoque nigrum, segmentis 1.° et 2.° immaculatis : 3.° basi albo utrinque punctato : 4.° maculâ transversali albâ basi notato : reliquis nigris. Pedes semper nigri. Alæ fuscescentes apice nigræ.

Pomp. bipunctatus differt, 1.° pedibus posticis interdùm rufis, 2.° Abdominis segmento secundo maculis duabus albis notato, 3.° segmento tertio semper immaculato, 4.° maculis abdominis sæpius flavescentibus.

OBSERVATIONES. Species quas sub nomine *Salii femorati*, 6-*punctati*, gravissimâ auctoritate D. Fabricii deceptus, in primo meo fasciculo *Ins. lig.* primus ipse in lucem edidi, nunc mares Pompilorum ritè mihi videntur.

Salius femoratus mas habeatur *Pomp.* 10-*guttati Jur.*

Salius lœvigatus vel *Sal.* 6-*punctati* varietas secunda (V. *Ins. lig. fasc.* 1. *pag.* 5.) segmento secundo immaculato et tertio punctis duobus albis notato, *Pomp. tripunctato* nostro validè affinis.

Salius 6-*punctatus* varietas prima, nonne mas *Pom. bipunctati?* Varietatem tertiam confer cum secundâ. Varietas quarta fortè mas *Pomp. nigri.* Pompilos nusquam in copulà conjunctos observavi.

N.° XXXIII. POMPILIUS FASCIATELLUS.

POMPILUS niger, abdomine anticè rufo, alis hyalinis fasicià ante apicem fuscâ.

In montibus Orerii captus.

Long. 4. 1/2 lin. Lat. 2/3 lin.

Caput cum antennis nigrum. Thorax concolor. Abdomen, segmentis duobus anterioribus saturatè rufis, reliquis nigris. Pedes nigri. Alæ hyalinæ, superiores maculâ magnâ fuscâ ante apicem notatæ.

Meram varietatem reputo *Pompili exaltati* alis fusco unifasciatis punctoque albo terminali nullo tantummodò distinctam, sed varietatem anomalam et illustrandam, præsertìm in sylvâ

nostrâ omnia ad Entomologiam spectantia et huc usque inobservata tradendâ, ut, oculis Entomologorum conversis in illa, scientiæ difficultates paulatìm evanescant.

N.° XXXIV.

N.° XXXIV. POMPILUS CINCTELLUS.

POMPILUS niger, pedibus testaceis, alis hyalinis fusco maculatis.

Habitat in montibus Orerii, admodùm rarus.

Long. 3. 1/2 lin. Lat. 1/2 lin.

Fœmina. Antennæ nigræ. Caput nigrum: fronte, maculis duabus parvis propè oculos albis: clypeo albo, maculâ mediâ nigrâ. Thorax niger, margine antico albo bimaculato. Abdomen nigrum, immaculatum. Pedes testacei, cruribus femoribusque nigris. Alæ hyalinæ; superiores, fasciâ latâ ante apicem fuscâ.

Mas invisus. *Pomp. hircanus* profectò distinctus.

N.° XXXV. POMPILUS GUTTA.

Pompilus niger, abdominis segmento secundo maculâ rubrâ notato.

Habitat in totâ Liguriâ, haud infrequens.

Corpus totum nigrum. Pedes concolores. Segmentum secundum dorsale maculâ rubrâ notatum. In *Fœminâ* macula rubra parva rotundata, in *Mare* major oblonga. Segmenta basi interdùm rufescunt. Alæ admodùm variant, quandoque omnino nigræ, quandoque hyalinæ apice nigræ. Confer cum *Pomp. nigro* et *Pomp. plumbeo*. *Pompilus gutta* noster habitu staturâque intermedius, propriam sibi habet maculam secundi segmenti, sed hæc differentia vehementer dubito an ad peculiarem speciem constituendam apud sanos aristarchos satis fuerit.

N.° XXXVI. NYSSON.

DECEM-MACULATUS.

Nysson niger, abdomine maculis 10 albis, segmento primo rubro.

Habitat propè Genuam, deprehensus in loco dicto *Marassi*.

Long. 3 ¹/₄ lin. Lat. 1. lin.

Mas.— Antennæ nigræ. Caput nigrum, fronte villosâ argenteâ. Thorax niger, margine antico lineolâque scutellari albidis. Abdomen, segmento 1.° toto rubro, maculâ utrinque albidâ : 2.° 3.° 4.° et 5.° nigris, utrinque albo maculatis ; 6.° et 7.° nigris, immaculatis : ultimo furcato. Corpus subtùs nigrum ; segmento primo ventrali basi rufescente. Pedes nigri, genubus tarsisque albidis. Alæ fuscæ.

Variat. 1.° Segmentis 4.° et 5.° immaculatis.

2.° Thoracis margine antico vel toto nigro, vel punctis duobus albis minimis notato.

3.° Thoracis margine antico nigro, maculis quatuor albis, intermediis minoribus interdùm vix conspicuis.

4.° Tarsis supra nigris.

Fœmina incerta. Nonne *Nysson maculatus* fæm. *Lat.* et *Jur. Crabro trimaculatus Panz. fasc.* 78. *fig.* 17?

Crabro trimaculatus Panz. fasc. 51. *fig.* 13, mas meo judicio *Nyssonis dissecti Jur. V. Mellinus dissectus Panz. fasc.* 77. *fig.* 18

N.° XXXVII. NYSSON QUADRIGUTTATUS.

Nysson niger, abdomis segmentis duobus anterioribus rubris, maculis quatuor albis.

In montibus Orerii, admodùm rarus.

Long. 2. lin. Lat. 2/3 Lin.

Fœmina.—Caput cum antennis nigrum. Thorax niger immaculatus. Abdomen, segmento 1.° et 2.° rubris, maculâ albâ utrinque notatis; reliquis nigris immaculatis. Pedes nigri, tarsis intùs testaceis.

Mas nondum inventus.

Differt a *Crabrone trimaculato fœm. Panz. fasc.* 78. *fig.* 17. *Nyssone maculato. Latr.* et *Jur. Nyssone trimaculato. fœm. mihi. Ins. lig. p.* 91. *n.* 1. 1.° margine antico thoracis nunquam flavo : 2.° lineâ scutellari flavâ nullâ : 3.° segmento

secundo rufo : 4.° segmento tertio immaculato : 5.° femoribus tibiisque nigris : 6.° staturâ ferè dimidio minore. Confer cum *Nyssone dimidiato. Jur.* Tabula absque descriptione cum nostris speciminibus certè non convenit.

N.° XXXVIII. NYSSON NIGRIPES.

NYSSON niger, abdomine maculis sex flavis, pedibus nigris.

Crabro trimaculatus. Rossi. fn. etr. 2, 95, 892.

Habitat in Liguriâ, propè Genuam captus.

Long. 3. lin. Lat. 1. lin.

Mas. Caput cum antennis nigrum. Thorax concolor, immaculatus. Abdomen nigrum, segmentis 1.° 2.° et 3.° utrinque maculâ flavâ notatis. Alæ fuscæ. Pedes omnino nigri.

Solus inter Nyssones pedibus nigris distinctus.

Fœmina adhuc incerta. Nonne noster *Nysson quadriguttatus?*

OBSERVATIO. Errata primi fasciculi emendandi causâ, accedat accuratior Nyssonum ligusticorum enumeratio.

1.° NYSSON MACULATUS.

Fæm.— *Nysson maculatus.* fæm Jur. pag. 199. Latr. hist. des Ins. t. 13. pag. 306. n.° 4.

Crabro trimaculatus. fæm. Panz. fasc. 78. fig. 17.

Pompilus maculatus. Fab. syst. Piez. 196. 42. (Fæm.)

Sphex maculata. id. Ent. syst. 2. 215. 70.

Nysson trimaculatus fæm. Ins. lig. pag. 91.

Mas. — *Nysson decem-maculatus* mihi.

2.° NYSSON DISSECTUS.

Fæm. *Nysson dissectus* fæm. Jur.

Nysson trimaculatus. Latr. hist. des ins. t. 13. pag. 306. n.° 2.

Mallinus dissectus. Panz. fasc. 77. Fab. 18.

Mas. — *Nysson maculatus* , *mas.* Jur. pag. 199.

Nysson trimaculatus mas. Latr. loco citato.

Crabro trimaculatus. mas. Panz. fasc. 51. lib. 3.

Nysson trimaculatus mas. mihi. Ins. lig. pag. 91.

Pompilus maculatus. Mas. Fab. syst. Piez 196. 42.

Crabro trimaculatus. Rossi. fn. etr. 2. 95. 892.

Varietas entomologo etrusco hisce verbis breviter descripta. « Variat tibiis digitisque sub » rufis , thorace lineâ anticâ flavâ , punctoque » sub alis flavis. »

3.°

3.° NYSSON *quadriguttatus*, fœm. } fortè eadem species.
4.° NYSSON *nigripes*, mas.
Crabro trimaculatus, Rossi.

5.° NYSSON SPINOSUS. Latr. Jur.
Crabro spinosus. Panz. fasc. 72. fig. 15 (fæm.) Fab. syst. piez. 307. 1.

Fæminam propè Genuam captam tanquam vatietatem *Nyssonis trimaculati* edidi V. *Ins. lig.* loco citato. Marem misit mihi D. Bonelli.

Nysson interruptus. Latr. et *Nysson dimidiatus* Jur. mihi invisi.

N.° XXXIX. AULACUS COMPRESSUS.

AULACUS niger, abdominis segmentis intermediis rufis.

Habitat in montibus Orerii, rarissimus.

Long. 8. lin. Lat. 1. lin.

Mas.—Antennæ nigræ setaceæ, 13-articulatæ. Caput nigrum, mandibulis tridentatis. Thorax niger, supra transversè striatum, (ut in *Aulaco striato*, Jur.) : metathorace posticè elevato, acuminato. Abdomen metathoracis apici insertum, lateraliter compressum, sub-clavatum : segmento 1.° longiore, petiolato, basi nigro, apice rufo; 2.° toto rufo : 3.° basi rufo, margine postico nigro : reliquis nigris. Genitalia conspicua. Pedes nigri, tibiis tarsisque anticis piceis. Alæ hyalinæ, puncto nervisque nigris. Cellula cubitalis secunda nervos duos recurrentes excipit.

Specimen unicum sub foliis *Coryli columnæ* captum. *Fœmina* nondum inventa.

Aulacus compressus noster, hoc in genere, novam familiam solus constituit.

G. AULACUS. *Fam.* 1.a Cellula cubitalis prima nervum primum, secunda secundum excipiunt.— Ex. *Aulacus striatus.* Jur.

Fam. 2.a Cellula cubitalis secunda nervos duos recurrentes excipit. Ex. *Aulacus compressus.* mihi.

N.° XL. CERCERIS MAJOR.

CERCERIS nigra, abdominis segmentis flavo fasciatis, alis flavis apice fuscìs.

Habitat propè Genuam, rara.

Long. 14. lin. Lat. 2. lin.

Fœmina. Antennæ basi flavæ, apice nigræ. Caput nigrum; fronte, tuberculo frontali porrecto et apice truncato, lineâ carinatâ inter antennas, mandibulis et reliquis conspicuis partibus oris, lineolâ utrinque inflexâ in oculorum sinu, maculisque collaribus magnis ponè oculos, flavis. Thorax niger; lineolis duabus in lobo antico, lineâ alterâ transversali scutellari, maculisque sub-scutellaribus, flavis. Abdomen 6-annulatum, nigrum, segmento anteriore coangustato nigro: reliquis supra flavis, maculâ nigrâ trigonâ medio notatis. Corpus glabrum, punctatissimum, punctis plurimis excavatis. Pedes

toti flavi. Alæ lætè flavescentes, apice saturatè fuscæ.

Sphex tubercutata, Villers Ent. 3. 253 95.

Mas staturâ minore et magis elongatâ distinctus. Caput nigrum, frontè flavâ absque tuberculo atque carinâ : oculis sæpius glaucis. Thorax niger immaculatus. Abdomen nigrum. Segmentorum marginibus flavis, fasciis marginalibus medio interruptis.

Crabro vespoides, Rossi. mant. tab. 6. fig. 3.

N.° XLI. POMPILUS CORNICULUS.

POMPILUS niger, corniculo inter antennas porrecto, clypeo carinato.

Habitat propè Genuam, admodùm rarus.

Long. 3. 1/2 lin. Lat. 1/2 lin.

Mas. Corpus cum antennis et pedibus nigrum, læve, nitidissimum. Caput; corniculo aut potius tuberculo inter antennas anticè producto, apice rotundato, paginâ superiore profundè excavatâ : clypeo paulò elevato, medio carinato, ut in *Chlorione compresso.* Thorax, lobo antico attenuato, anticè producto, supra striato : lobo scutellari acuminato, lineolis plurimis supra longitudinaliter excavatis. Abdomen subsessile 7-annulatum : segmento ultimo conico, valdè elongato, subtùs incurvo. Alæ hyalinæ, puncto nervisque nigris; cellulæ ut in Pompilis. Pedes

nigri, femoribus dilatatis compressis. Animalculum valdè singulare, habitu toti corporis ad *Ampulices* jurineanos, alis ad *Pompilos* accedit, mandibulis ab utroque genere distat, et probabiliter novum et peculiare genus constituit.

Fœmina adhuc mihi invisa. Marem, specimen unicum, cepi in loco dicto *Marassi.*

N.° XLII. PANURGUS UNICOLOR.

Panurgus, corpore antennisque nigris, femoribus posticis calcaratis.

In montibus Orerii inventus, haud infrequens.

Long. 4. lin. Lat. 1. $^1|_2$ lin.

Fœmina. Antennæ nigræ, quo charactere speciem nostratem a *Panurgo lobato* facilè discernemus. Caput nigrum, mandibulis concoloribus. Thorax abdomen pedes que nigra, pilis obscuris rarò dissitis. Frons villosa, villis nigris longioribus. Pedes nigri, femoribus posticis calcare brevi retuso latere interno medio instructis. Alæ hyalinæ. Pedes nigri, tibiis tarsisque villosis.

Mas fæminæ simillimus. Antennarum articulus primus hispidus, pilis nigris. Pedes, hirsutie densiore, femoribus posticis inermibus. *Panurgus ater Panz.* ferè dimidio minor, fæminæ femoribus posticis absque calcare.

N.º XLIII. ANTHOPHORA LÆVIGATA.

Anthophora nigra, albido pubescens, segmentorum marginibus glabris nitidis.

Habitat passìm in Liguriâ.

Long. 7. lin. Lat. 2. lin.

Mas. Antennæ nigræ, articulo 1.º subtùs flavo. Caput nigrum : fronte albido villosâ : clypeo gilboso flavo, margine superiore utrinque nigro : labio flavo, punctis duobus nigris. Thorax niger, immaculatus, hirtus, pilis albidis. Abdomen nigrum, vix pubescens, pube rarâ albidâ ; segmentorum marginibus glaberrimis, lævigatis, lucidis. Pedes nigri : intermediis fasciculato-pilosis, ùt in *Anthophorâ pilipede;* posticis scopam corbiculamque gerentibus. Alæ hyalinæ.

Fæmina, staturâ magnitudine coloribusque

marem æmulat. Antennarum articulus primus, nasus, clypeum, nigra. Pubes abdominalis densior. Segmenta margine minus lucida.

N. B. *G. Anthophora* Latr. — *Megilla* Fab. et Panz.—*Lasius.* Jur.

N.° XLIV. HERIADES PUSILLA.

HERIADES nigra, maculis duabus frontalibus, segmentorumque marginibus albido pubescentibus.

Megachile punctatissima Ins. lig. 1. pag. 135.

Utriusque sexus iam edidi descriptionem, nunc mutato nomine iconem præbeo. *Megachile punctatissima* Latr. prorsùs distincta et in Liguriâ nondum inventâ, si congener, saltem ad alteram Heriadum divisionem amandandam. *Heriades pusilla* nostras, meo judicio, nusquam in lucem tradita, nidum habitat cylindricum, simplicem, et in medullâ Rubi profundè atque tortuosè fossum. Nidus casulis parvis decem vel duodecim constat. Muri interjacentes foliis Rubi efficiuntur detritis et glutine quodam coadunatis. Unaquæque casula unam sistit larvam cui victum e polline florum ad instar massæ elaboratum mater

provida diligenter præparavit. Quos mores Heriades nostras habet communes cum multis speciebus ejusdem familiæ, *Ceratinibus, Osmiis, Megachilibus*, etc.

Apis pusilla Christ. tab. 12. fig. 14. ad Osmias pertinet. Mas fortè *Osmiæ bicornis.*

N.° XLV. HERIADES SINUATA.

Heriades nigra, pubescens, segmentis duobus anterioribus margine albis.

Habitat propè Genuam, haud infrequens.

Long. 3. lin. Lat. 3/4 lin.

Mas. Corpus totum punctatissimum, punctis excavatis. Caput cum antennis nigrum: fronte albido villosâ: vertice nudo. Thorax niger villosiusculus, pilis rarioribus. Abdomen nigrum; segmentorum margine albo fasciato: fasciis marginalibus e pilis brevissimis confertis, sæpius nullis in posterioribus segmentis: segmentis 4.° 5.° et 6.° subtùs incurvis: 6.° producto, margine sinuato ferè bi-emarginato. Segmentum secundum ventrale in laminam productum, ut et in præcedente, reliqua posteriora cooperit, cum sexto dorsali quasi cohærens, rimam sinuatâ et irregulari ab ipso

disjungitur. Segmentum 7.um anale, genitalia obtegens, muticum, breve, margine retuso, et sub sexto valde productiore omnino reconditum. Alæ obscuræ.

Differt a mare præcedentis, segmento sexto dorsali sinuato.

Fœmina ab *Heriade pusillâ* vix discernenda. Statura major. Caput nigrum, paulò pubescens, maculis duabus frontalibus nullis. Venter lanâ albidâ indutus. Segmentum sextum dorsale integrum, nullomodo productum.

N.° LXVI. OSMIA ANDRENOIDES.

OSMIA, abdomine basi rubro apice nigro.

Habitat propè Genuam, in loco dicto *Marassi.*

Long. 3. lin. Lat. 1. lin.

Fœmina. Antennæ nigræ, infractæ, 12-articulatæ; articulo 1.° maximo; 2.° minimo: reliquis subæqualibus. Caput nigrum: fronte pubescente, pilis brevissimis vix conspicuis; mandibulis saltem tridentatis; reliquis instrumentis cibariis nedum observatis. Thorax niger, albido villosiusculus. Abdomen nitidum 6-annulatum, segmentis tribus anterioribus rubris pellucidis: quarto nigro, interdum basi rufescente: reliquis nigris: ventre lanâ niveâ induto. Pedes nigri. Alæ fuscescentes.

Mas paulò minor. Antennæ 13-articulatæ; articulis subæqualibus. Frons albido villosa. Thorax pube densiore obtectum. Venter nudus. Abdomen

7-annulatum : segmento ultimo nigro, margine postico medio bidentato, dentibus brevibus, approximatis obtusiusculis.

De genere adhuc dubito.

N.° XLVII.

N.° XLVII. OSMIA MELANOGASTER.

SIQUIDEM nomen *Anthophoræ notatæ*, Fab. OSMIÆ MELANOGASTRI æque ac speciei sequenti conve-venire potest, ambarum descriptionem latè explicare constitui, ut pateant differentiæ essentiales et amplius species manifestò distinctæ non confundantur.

OSMIA MELANOGASTER, *Fœm.*

Megachile notata, *mihi. Ins. lig.* 146. 14.

Habitat passim in Liguriâ.

Long. 5. lin. Lat. 1 1/2 lin.

Corpus totum punctatissimum, punctis plurimis minutis excavatis, nigrum aut rarius obscurè nigro-æneum. Caput pubescens; pube frontali longiore, albidâ: mandibulis quadridentatis, dentibus exterioribus majoribus, margine interno rufo ciliato. Thorax niger, pnbescens, villis

albidis interdùm rufescentibus. Abdomen supra lucidum ; segmentorùm marginibus ciliatis , fasciis marginalibus medio interruptis. Venter lanâ densâ nigrâ indutus. Pedes nigri , hirti. Alæ fuscæ , apice obscuriores.

Desunt lunulæ albæ utrinque in singulo segmento adeò notabiles in *Anthophorâ notatâ.* Fab. Tacet D. Fabricius de mandibularum denticulis. *Apis notata* Christ tab. 16. fig. 4. nec staturâ nec coloribus proxima.

Mas autem incertus. Specimen quod hoc sub nomine trado, nec cum fæminâ copulâ conjunctum , nec in nido communi latitans, huc usque reperiri mihi contigit , sed quædam omnium corporis partium similitudo, magnitudine coloribusque ferè iisdem innixa, insectum cum altero vitam degens, ejusdem speciei alterum esse sexum , conjectandi mihi dedit auctoritatem. Mas iste nostras ab *Osmia melanogastro fœminâ* non abludit nec staturâ , nec colore nigro , nec segmentorum marginibus albido ciliatis, nec toti corporis superficie punctis plurimis excavatis

inæquali. Frons tantummodo magis villosa. Oculi in specimine mortuo glauci, fortè propter inaccuratam exsiccationem. Thoracis abdominis que pubes admodùm varians : dorsum quandoque glabrum, quandoqne pilis albibis hirtum. Venter nudus, niger. Abdomen 7-annulatum : segmento 6.° utrinque spinâ rectâ armato : 7.° genitalia recondente, quadrispinoso, spinulis intermediis triplo longioribus approximatis, lateralibus brevioribus remotis. Pedes nigri. Alæ fuscæ ante apicem dilutiores.

N.° XLVIII. OSMIA MELANIPPA.

Discrepantia adeò magna exoritur inter Osmiarum mares et fæminas, in toti corporis partibus quàm maximè notabilis, ut præterire diagnosim vel inutilem qnòd aliis speciebus pariter convenientem vel cum uno alterove sexu incongruam, necesse videatur. Sententiæ arctissimis in clausulis collectæ, etsi fallaci brevitatis nitore splendentes, rarò, loco descriptionis minima amplectentis, peculiares speciei characteres assequuntur, et sæpius ad interim vix sufficiunt, idque non amplius, si congener diagnoseos characteribus propior nuperius detegatur. Cum insectorum numero diagnoseorum crescit fragilitas et semper magis descriptionibus validis indigemus. Apiaria jam pleraque decipientis laconismi patefecerunt vitia, et idem, progrediente ætate, in aliis generibus certè

eveniet. Attamen patrum historiæ naturalis auctoritate servatâ, quantùm potui, veterum usum retinui et retinebo quantùm potero, novitates nisi præter dubium necessarias semper vitaturus.

OSMIA MELANIPPA, *Fœm*

Habitat passim in agro Ligustico.

Long. 3. 1/2 lin. Lat. 1. lin.

Antennæ nigræ. Corpus punctis plurimis excavatum, ut in plerisque Osmiis. Caput nigrum: fronte hirtâ, pilis albidis; mandibulis tridentatis, dentibusque acutis subæqualibus a precedente satis distinguitur. Thorax niger, hirtus, pilis albis. Abdomen nigrum, 6-annulatum: segmentis 1.° 2.° et 3.° utrinque margine ciliatis, pilis niveis brevissimis decumbentibus; reliquis toto margine ciliatis: ventre lanâ nigrâ induto. Pedes nigri. Alæ hyalinæ, margine exteriore cellulâque radiali nigris.

Confer cum *Anth. notatâ*, Fab., et cum ejusdem *Anth. cyaneâ*. Color semper niger speciei nostratis cum dictâ *Anthophorâ cyaneâ* nullomodo convenit.

Mas incertus. Specimen infra descriptum, multis argumentis et indiciis, talem esse suspicor. Magnitudine, coloribus, corporis tota superficie, capitis thoracisque hirsutie albidâ, Fæminæ simillimus. Abdomen 7-annulatum : segmentis utrinque margine ciliatis, pilis niveis decumbentibus : 6.° utrinque spinâ brevi rectâ acutâ armato : 7.° mutico, porrecto, margine sinuato.

Habitat cum fæminâ; frequens in floribus umbellatis pratorum.

Apis adunca Panz. (*Anth.* Fab.) meo judicio mas *Osmiœ tunensis*, (*Anth.* Fab.) differt corpore hirto pube rufâ albidâ obtecto, abdominis segmento septimo brevi margine rotundato. De maribus Osmiarum, multa adhuc perscrutanda remanent, nam conjectata imperfectè observationibus supplent.

N.o XLIX. OSMIA GALLARUM.

OSMIA GALLARUM.

Habitat frequens in montibus Orerii.

Long. 3. lin. Lat. 1. lin.

Fœmina. Antennæ nigræ. Corpus splendore metallico nitens, viridi-cæruleum, punctatissimum. Caput, fronte albidâ villosâ, mandibulis nigris, intùs quadridentatis, dente exteriore magis producto. Thorax hirtus, pilis albis. Abdomen sexannulatum; segmentis tribus anticis, utrinque lineolâ marginali albâ e pilis brevibus atque decumbentibus: 4.o et 5.o margine toto albo ciliato: 6.o glabro: ventre lanâ albâ niveâ induto. Pedes nigri, pube albidâ. Alæ hyalinæ.

Mas staturâ fæminam æquat. Color metallicus magis ad viridem vergit. Caput, fronte rufo villosâ: mandibulis bidentatis, dente superiore breviore, lato, truncato, altero producto acuto. Thoracis

abdominisque pubes plus minusve saturatè rufa. Abdomen 7-annulatum : segmento ultimo trispinoso, ad instar tridentis efformato; dentibus subæqualibus; intermedio interdùm bifido, sæpius integro. Venter nudus. *V. Meg. cœrulescens, mas. Ins. lig.* 146.

Confer cum *Anth. œneâ* Fab. Tacent auctores, et de lanâ niveâ ventris fæminæ conspicuo charactere, et de segmento septimo tridentato maris præcipuâ notâ.

Osmia gallarum habitat in Gallis quercus monothalamis fungosis, rotundatis, et coronatis ramorum. Nec verus parasita, nec ceu legitimus dominus, Osmia nostras hac in gallâ nidificat. Foramine ipso quo exiit Cynips, metamorphosi imaginis modò perfunctâ, subiit illa et domum derelictam privato jure occupat. Vacuo medio valdè dilatato, ovas deponit plures in totidem casulis subcylindricis. Casulæ 12 vel 15 rarius 24 inordinatè dispositæ, muris clauduntur foliaceis, id-est, foliis quercus minutissimè fressis et resinosâ quadam materie conglutinatis, paretibus intùs

intùs lævigatis. Larva, apiariorum more solito, pollinivora. Imago, dùm egredi vult, per portam unicam transire debet, primùm cynipede apertam, quam et postea, muro resinoso foliaceo Osmia mater obturaverat.

N.° L. ROPHITES QUINQUE-SPINOSA.

ROPHITES nigra, segmentorum marginibus albo ciliatis, ultimo ventrali subtùs quinque-spinoso.

Habitat in montibus Orerii, rara.

Long. 4. lin. Lat. 1. 1/3 lin.

Mas. Antennæ filiformes, 13-articulatæ : articulo 1.° longiore toto nigro, reliquis supra nigris, subtùs testaceis. Caput nigrum : fronte hirsutie cinereâ obtectâ. Thorax niger, hirtus, pilis cinereis. Abdomen nigrum, 7-annulatum, marginibus albido ciliatis : ventre 6-annulato ; annulo ultimo ventrali majore, spinulis quinque subtùs armato ; spinulâ intermediâ ab annuli basi prodeunte, rectà, posticè productâ, apice obtusiusculâ : lateralibus remotis, per paria approximatis, brevibus, deorsùm recurvis. Pedes nigri,

cinereo villosi: postici longiores, tarsis testaceis. Alæ hyalinæ, puncto nervisque nigris.

Fœmina adhuc reperienda, fortè Dasypodis amandata, quamvis instrumentis cibariis ad hoc genus manifestò non spectet.

APPENDIX I.us

FASCICULI I.i SISTENS

EMENDATIONES ET ADDITMAENTA.

Ins. lig. sp. nov. aut rar.

PAG. 9 *lin.* 16. (Abdomen e quatuor segmentis constans.) Abdomen apud *Stilba*, *Chrysides* et *Hedychra* solis segmentis tribus constat, sed ultimum in *Stilbis* et *Chrisidibus* transversè sulcatum videtur. Sulcum punctis constat plurimis distinctis, profundè excavatis. Pars posterior segmentum quartum simulat, et brevitatis causâ, tale dici potest.

Pag. 10. *lin.* 7 et *seq.* (Anus in solis maribus dentatus.) Fæminarum interdùm segmentum tertium margine ut in maribus dentatum, sed rarius. Varietates ano mutico valdè frequentiores. Mutentur nihilominus divisionum characteres.

1. Anus spinosus, spinulis acutis.

2. Anus dentatus, dentibus retusis.

3. Anus integer vel emarginatus.

Chrysis splendidula primæ divisioni amandetur.

Id. Lin. 15. Hæc divisio omnino eliminanda. In *Hedychris ardente* et *lucidulo*, segmentum tertium absque sulco transversali. Species hoc loco citatæ, omnino diversæ, veræ *Chrysides.* Labium reverâ leviter emarginatum, ad novum genus constituendum, meo judicio, non sufficit.

Id. Lin. 21. Divisio tertia totum *G. Hedychrum* sistit. Species quarum est anus dentatus vel emarginatus, peculiaribus gaudent characteribus. Mandibulæ intùs denticulatæ. Scutellum interdùm posticè productum. Alæ ut in *Omalis* jurineanis. Labium integrum. Nonne genus distinctum? *G. Elampus.*

Pag. 14. *Larra micans.* Præter dubium *Pompilus* fæm. Species adhuc obscura. Varietatem suspicor *Pompili plumbei.*

Pag. 16. *Larra 6-maculata*, nunc mihi videtur varietas admodùm minuta *Pompili pulchri fœminæ.*

Pag. 18. *Astata nitida* absque dubio *Tachytes.*

Pag. 25. *Scolia abdominalis* mihi.

Scolia rubra. Jur. tab. 9. fig. 6.

Pag. 27. *Cerceris tricincta* aut species distincta, aut varietas qùam maximè rara *Cerceridis emarginatæ.* Fæmina nondùm inventa.

Pag. 29. *Bombus ligusticus* mihi.

Bremus scutellatus. Jur. tab. 12. fig. 4.

Apis argillacea. Villers Ent. 3. 329. 323. tab. 8. fig. 30.

Pag. 33. *lin.* 13. Varietas *Megachiles Latrellii* fronte absque cornubus proxima videtur *Anth. Cyaneæ.* Fab.

Pag. 47. *Nomada rufiventris* a *Nom. Germanicâ* indistincta, descriptionem meam nihilominus inutilem non reputo.

Pag. 50. *Megalodontes vidua* inter Tenthredines remaneat, quantumvis linguâ longiore a congeneribus abludat.

Id. G. Hylotoma. — *Hylotoma furcata* et *angelicæ* in systemate jurineano, novam familiam *G. Pteroni* constituere debent, nam in utrâque deest cellulæ

cubitalis nervus appendiceus, *Hylotoma melanocephala*, *serva*, *spinarum*, *ovata*, Nematorum familiæ primæ amandentùr.

Pag. 63. *G. Chrysis calens*, *mihi Stilbum.*

scutellaris. *fulgida.* *cœrulipes.* *ignita.* *succincta.* *cyanea.* *splendidula.*	*Chrisides.*
panzeri. *aurata.*	nonne *Elampi* ?
lucidula. *fervida.* *regia.*	*Hedychra.*

Pag. 66. *lin.* 3. (Variat. . .), Varietates meæ *Tripoxilonis figuli* a *Tripoxilone atrato* et *T. equestre* omnino distinctæ. Hic in Liguriâ nondùm inventus, ille in montibus Orerii hoc anno captus: ambo ad *Psenes* pertinent, et a *Tripoxilone figulo* genericè differunt.

Pag. 68. *Pompilus viaticus.*—Notatu digna habeatur cellulæ cubitalis tertiæ forma triangularis, quòd hujusce generis hac in solâ specie talem invenimus.

Pag. 69. *Pompilus bifasciatus.* Varietatem reor *P. Hircani*, et ambos varietates *P. Exaltati.*

Pag. 73. *Larra tricolor* nunc *Tachytes* Panz. *Larra picta*, *Dynetus.* Jur.

Pag. 78. *G. Elis*, quod genus esse omnino supprimendum, optimè demonstravit D. Panzer. Vid *Krit. revis.* pag. 139. *Scolia interrupta*, *Sc. quinquecincta*, *Myzine 6-fasciata*, *Myz. cylindrica*, in totâ Liguriâ passim habitant præsertim in sabuletis, sed fœminas diu desideratas nondùm invenire potui. Nonne apteræ?

Pag. 81. *Tiphia tripunctata*, Tachorum typus apud D. Jurine.

Pag. 88. *G. Odynerus.* Antennæ apice tenues ac convolutæ in solis maribus observantur.

Pag. 90. *lin.* 20 *Celonitum* lingua bipartita, laciniis linearibus conspicuis.

Pag. 134. *lin.* 18. *Megachile campanularum* a *Meg. truncorum* prorsùs distincta. *Pag.*

Pag. 135, *lin.* 9. *Megachile punctatissima.* — Vide supra *Heriadem pusillam*, *mihi.*

Pag. 136. *lin.* 10. *Megachile phœoptera* Latr. in Liguriâ nondùm inventa, confer cum *Steli aterrimâ* Panz. Fæmina quam hoc sub nomine descripsi absque dubio *Apis fulviventris* Panzeri. Mas autem incertus; specimen descriptum fortè nova species.

Pag. 140. *lin.* 18. *Megachile argentata.*—*Apis papaveris* ad Osmias pertinet et a *Meg. argentatâ* etiam characteribus genericis distat. *Apis lagopoda* apud nos rarior; fæmina incerta, nonne *Megachile fulviventris* mihi, V. Ins. lig. pag. 144. *Apis pacifica* Panz. seu *Anthidium rotundatum* Fab. mas nunc mihi videtur *Meg. argentatœ*

Pag. 145. *lin.* 4. *Megachile cœrulescens* fæmina, hoc anno tantùm inventa, ab alterâ perperàm supposito nomine descriptâ, differt staturâ multo minore, mandibulis solummodò tridentatis, thoracis pube rufâ densiore, abdomine splendido dilutius cæruleo, segmentorum marginibus lævigatis, ventre lanâ rufâ induto. *Apes ventralis*, *glo-*

bosa, *fronticornis* probabiliter species distinctæ, et singulatim describendæ. Quoad feminam descriptam vide *Apem leaianam* Kirby et quoad marem *Osmiam gallarum mihi.*

Megachile florisomnis,
truncorum,
punctatissima, — *pusilla*,
phæoptera, — *fulviventris*, } mihi *Heriades*
interrupta,
florentina,
manicata, } *Megachiles*, 1.ª familiâ.
tunensis, — *Osmia*, 2.ª familiâ.
argentata,
centuncularis,
fulviventris, } *Megachiles*, 2.ª familiâ.
cœrulescens, — *Osmia*, 3.ª familiâ.
cornuta,
bicornis,
cornigera, } *Osmiæ*, 1.ª familiâ.
muraria — *Osmia*, 2.ª familiâ.

Pag. 151. *lin.* 5. *Ceratina nitidula*, mas *Ceratinæ*

albilabris. V. *Ann. du Museum. Prosopis nitidula Fab.* diversa, mas Andrenæ cujusdam.

Pag. 155. *lin.* 22. *Mutilla littoralis* Pettagnæ nunc speciem reor distinctam. Marem cepi propè Genuam.

Long. 5. lin. Lat. 1. $^1/_2$ lin.

Caput cum antennis nigrum. Thorax rufus; puncto calloso alarum nigro: scutello rufo; pectore nigro. Abdomen nigrum, segmentis quatuor anterioribus margine albo ciliatis. Pedes nigri, tarsis testaceis. Alæ nigræ.

(*Quœ ad interim sufficient, alia multa mihi exinde emendanda occurrent, accuratè prosequar et emendabo.*)

Finis fasciculi secundi.

INSECTORUM LIGURIÆ

SPECIES NOVÆ AUT RARIORES.

FASCICULUS 3.us

SISTENS ICHNEUMONIDUM MONOGRAPHIAM,

PARTEM PRIMAM.

ICHNEUMONIDUM LIGURIÆ MONOGRAPHIA.

PARS I.ª BRACONES ET MICROGASTRI.

Inter Hymenoptera Piezatave terebrantia et pupophaga tota *Ichneumonidum* familia D.[no] *Latreille* constituta facillimè distinguitur, 1.° ab *Evanialibus*, abdominis petiolo ponè thoracem inserto: 2.° a *Diploleparii* Lat., *Cynipseris* mihi, palpis filiformibus nunquam clavatis, terebrâ ab ultimo segmento prodeunte plus minusve exsertâ et nunquam convolutâ 3.° a *Cynipseris* Latr., *Diploleparii* mihi, antennis setaceis, articulis viginti et amplius gradatim decrescentibus.

I. *Ichneumonides*, palpis maxillaribus quinque-articulatis, labialibus triarticulatis.

G. BRACON, mandibulis rostrum efformantibus, labio elongato profundè emarginato.

G. MICROGASTER, mandibulis brevibus, labio parvo margine integro.

Hæc duo genera hoc in fasciculo illustrantur

II. *Ichneumonides* palpis maxillaribus quinque articulatis, labialibus quadriarticulatis.

G. ICHNEUMON.

III. *Ichneumonides* palpis maxillaribus sex-articulatis, labialibus quadriarticulatis.

G. BASSUS abdomine 7 vel 8 segmentis efformato.

G. SIGALPHUS abdomine 3 vel 4 segmentis.

G. CHELONUS abdomine uniannulato.

I. G. BRACON.

Character essentialis.

PALPI *quatuor inœquales : anteriores quinque-articulati ; posteriores triarticulati.*

Labium *simplex , porrectum , profundè emarginatum.*

Mandibulæ *rostrum efformantes , dehiscentes , apice fissœ.*

Antennæ *setaceœ , multi-articulatœ.*

Hoc genus et ipsius nomen debemus D.º JURINE , sed a solis alarum cellulis genericos mutuavit characteres.

Cellula radialis *una , magna.*

Cellulæ cubitales *tres : duœ primœ quadratœ , ferè œquales : prima excipit nervum recurrentem : secundus nervus deest : tertia magna apicem alœ attingit.* Jurine. Hymen. pag. 117.

Systematis artificialis hoc est vitium incurabile

naturæ ligamina perpetuò frangere, coadunanda disjungere et disjungenda coadunare. Genus *Bracon* jurineanum duodecim speciebus dumtaxat conflatur, inter eas duo nihilominus signis patentissimis sejungendæ videntur. *Ex* .1. *Bracon manducator.* Jur. Palpis maxillaribus sex-articulatis, labialibus triarticulatis, mihi *Bassus.* Mandibulæ tridentatæ et alarum cellulæ cubitales ut in Braconibus peculiarem Bassorum repetunt divisionem *V. G. Alysia* Latreille. 2. *Bracon irrorator.* Palpi ut in præcedente : abdomen triannulatum. Mihi *Sigalphus.*

Celeberrimus D. FABRICIUS entomologiæ systematicæ primus restitutor, *G. Bracon* in suo piezatorum systemate admisit, sed citato tanquam generis typo *Bracone denigratore*, palpos illius maxillares asserit 6-articulatos. Verumtamen hæc species eadem apud nos passim habitat; sæpisimè capta, pluries observata, dictos palpos semper mihi præbuit articulis quinque solummodò instructos. De proprio intuitu libenter dubitarem ni primæ observationes posterioribus

innixæ cum panzerianis atque latreilleanis perfectè convenissent. Species denique nonnullæ inter Bracones fabricianos latitantes ad alia genera fortè pertinent. Ex. 1.° *Bracon purgator* Fab. Tabula D.ni Coquebert absque dubio Braconem non repræsentat. *Ichneumon purgator* Coquebert dec. 1. tab. 4. fig. 10. mihi varius *Ichneumon*. 2.° *Bracon serrator* Fab. — *Stephanus coronatus* Jur. Summâ benevolentiâ hanc rarissimam speciem misit mihi ipse D.us Jurine et viam aperiit novi generis dignoscendi. Qui semel vidit *Stephanum coronatum*, nunquam hoc insectum cum Braconibus confundet, toti corporis habitui animadvertet, abdominis insertioni, tibiis compressis incrassatis, alarum que cellulis, et, instrumentis cibariis etiam nedum observatis, de genere distincto propè *Fœnos* locando, non amplius disputabit.

D. PANZER, in optimâ suâ Piezatorum recognitione, Braconum instrumenta cibaria edidit, et eadem propriâ observatione vidit D. LATREILLE qui hosce Ichneumonides primùm *Ichneumonides rostratos* denominavit, et postea G. *Vipio* instituit.

INST. CIB.—*Palpi* quatuor inæquales filiformes: *maxillares* longiores valdè conspicui, quinque-articulati, articulo 1.° brevi crasso, 2.° et 3.° gradatim longioribus, 3.° crassissimo, ultimis duobus setaceis tenuioribus longioribus; articulis quatuor basilaribus sæpius pilosis (in *Braconibus denigratore, flavatore, nominatore* etc.); *Labiales* breviores triarticulati: articulis 1.° et 2.° brevioribus. *Maxillæ* mento longiores sed labio breviores, dilatatæ, intùs concavæ, mentum vaginantes: processu terminali oblongo tenuiore, corneo, margine membranaceo, linguam seu labium partim obtegente. *Mentum* corneum, rectum, maxillis brevius, apice quandoque rectè truncato, quandoque rotundato, quandoque emarginato. *Labium* simplex, multo magis productum quam in reliquis Ichneumonidibus, apice dilatatum, margine profundè emarginatum. *Mandibulæ* corneæ, validæ, apice fissæ, deorsùm productæ, rostrum simulant et rimam inter seipsas et clypeum labrumve superius semper relinquunt. *Antennæ* setaceæ, multiarticulatæ.

Braconum

Braconum caput, mediæ magnitudinis, collo (1) paulò elongato insidens; collo (2) brevi: vertice, stemmatibus tribus in triangulum dispositis: oculis duobus lateralibus ovalibus. Antennæ approximatæ, medio frontis insertæ: articulo 1.° breviore; 2.° maximo: reliquis subæqualibus, gradatim decrescentibus, vix distinctis.

Thorax, lobo collari ferè recondito, angustissimo, anticè producto: lobo intermedio magno, gibboso, anticè rotundato, posticè acuminato: foveis duabus utrinque excavatis propè alarum insertionem: alarum squamulâ corneâ, mediæ magnitudinis: lobo scutellari declivi, superficie sæpius rugosâ vel inæquali; scutello nullo: pleuris sub basi alarum gibbosiusculis: pectore plano.

Abdomen, segmentis 7 in *fœminis*, 8 in *maribus*. magnitudine variâ, dimidiâ corporis longitudine

---

(1) Collum, id est, segmentum thoracis anticum, attenuatum, subcylindricum, collum simulans.

(2) Collum, vocabulo duplice sensu adhibito, id est, pars capitis posterior, ponè oculos, plus minusve conspicua.

in *Braconibus denigratore*, *flavatore*, etc, plus dimidio longiore in *Brac. desertore*, *nominatore*, etc. : in plerisque subsessile, in perpaucis petiolatum, petiolo dimidiâ abdominis longitudine in *Brac. rubido*, *petiolato*, etc., vix partem tertiam æquante in *Brac. chlorophthalmo* : depressum, lineare, in *Brac. desertore*, *deflagratore*, etc : complanatum ferè truncatum in *Brac. gasteratore*, *coxali*, *dimidiatore*, etc, ovale in *Bracone flavatore*; clavatum in *Brac. chlorophthalmo* : fusiforme in *Brac. cinctello* : segmentis quinque anterioribus subæqualibus in plerisque speciebus primæ sectionis quarum est abdomen subsessile et alæ superiores coloratæ : segmentis tribus anterioribus tantùm majoribus in speciebus aliis secundæ sectionis quarum alæ sunt hyalinæ; segmento ultimo in *maribus* interdùm recondito, in *fœminis* noduloso.

Fæminarum terebra oviductu constat corneo, supra canaliculato, apice acuto, sæpius utrinque serrato, valvulisque duabus vaginantibus, intùs concavis, oviductum includentibus. Magnitudo

variat. Terebra corpore longior in *Brac. desertore*, *nominatore*, corporis magnitudine in *Brac. flavatore*, *rostratore*, etc., corpore brevior in *Brac. deflagratore*, crassa clavata in *Brac. denigratore*, brevissima ferè recondita in *Brac. coxali*, *dimidiatore*, *gasteratore*, etc.: valvulis vaginantibus hirsutis, rarius glabris.

Pedes, coxis (*les hanches*) magnis incrassatis: trochantero coxali conspicuo: trochantero femorali parvo: femoribus validioribus, interdùm incrassatis ut in *Brac. castratore*, *deflagratore*: tibiis tenuibus elongatis: tarsis quinque articulatis: articulo ultimo uncinulis duobus instructo vix conspicuis, brevissimis, pilis ferè obtectis. Pedes postici magis elongati, antici breviores.

Alæ, quoad superiores, vide ut supra generis *Bracon* characteres jurineanos. Cellula 2.a cubitalis magnitudine variat, in plerisque præcedente minor; interdùm sed rarius major, in solo *Brac. rubido*, nervum unicum recurrentem excipit quo charactere hæc species nostras, jurineanâ

methodo, familiam secundam sola constitueret. Inferiores (1) variant. . . . .

---

(1) *Alæ inferiores* ad instar superiorum describi possunt.

1.° Nervi a basi prodeuntes, *Nervi brachiales* (alarum inferiorum.)

2.° Nervus margini anteriori propior, *Pseudoradius*.

3.° Nervus secundus post pseudoradium margini eidem propior, *Pseudocubitus*.

4.° Reliqui, *Nervi brachiales* 3.us, 4.us 5.us, etc.

5.° Punctum quo pseudoradius alæ marginem anteriorem attingit, alæ inferioris *stigma*.

6.° Cellulæ post stigma pseudoradio efformatæ, *Cellulæ marginales*.

7.° Cellulæ post stigma pseudocubito efformatæ, *Cellulæ submarginales*.

8.° Cellulæ post stigma reliquis nervis brachialibus efformatæ, *Cellulæ* 3.ii 4.i 5.i *ordinis*, etc.

9.° Cellulæ, si nervis brachialibus vel recurrentibus undique includantur, *Cellulæ clausæ*, si margine partim terminentur, *Cellulæ completæ*, si uno latere nec alæ margine nec nervis claudantur, *Cellulæ apertæ*.

Serventur jurineanæ denominationes *Cellulæ appendiceæ*, *petiolatæ*, etc.

Alæ inferiores cum superioribus in volatu cohærent quibusdam uncinulis quos D. Kyrby vocavit *hamuli* : variant formâ et numero.

Pagina posterior nonnullas emarginaturas aliquando præbet notatû dignas, apud nos, *Incisuræ posteriores*.

1.° *Nervi brachiales* tres. *Stigma* vix conspicuum ultra dimidium marginis anterioris. *Hamuli* 3 vel 4 brevissimi stigmati insident. *Cellula marginalis* una, magna, *aperta*. *Cellula submarginalis* una, magna, elongata, *aperta*, apice latior. *Nervus tertius brachialis* brevissimus, alæ paginam posteriorem attingit et nervo transverso cum pseudocubito coalescit. *Incisuræ posteriores* nullæ. *Ex. brac. desertor, nominator, castrator, denigrator, flavator, minutator, etc., etc.*, et pleræque hujusce generis species.

2.° *Nervi brachiales* duo. *Cellula marginalis* aperta, brevissima, pseudoradio post stigma vix conspicuo. *Cellula submarginalis* magna, aperta propter brevitatem pseudoradii. Pseudocubitus alæ marginem attingit. Reliqua ut in divisione precedente. *Ex. Brac. rubidus.*

Alæ tum superiores cum inferiores familias 2. Braconum introducendas commonstrant, sed familiam secundam species unica *Brac. rubidus* constitueret et reliquas agminatim in alterâ confusas difficilius detegeremus. D. LATREILLE aliam

G. Vipio ceravit optimam divisionem ex mandibularum palporumque proportionibus deprompt̃am. In insectis verùm minutis, instrumenta cibaria observatu difficillima, oculo nudo identidem effugiunt. Species aliquot etiam inveni quarum palpi mandibulæque medium tenent inter unam et alteram sectionem, qua de causâ, novum divisionis tentamen hæc nostra monographia exhibebit forsan in usum communem aptius et patentissimis characteribus fultum quamvis in naturâ secundaneis.

Sectio 1.ª *Bracones*, abdomine subsessili, segmentis quinque anterioribus majoribus subæqualibus.

Sectio 2.ª *Bracones*, abdomine subsessile; segmentis tribus anterioribus maximis.

Sectio 3.ª *Bracones* abdomine petiolato.

Sectio 1.ª

Bracones, *abdomine subsessili, segmentis quinque anterioribus majoribus subœqualibus.*

N.° 1. Bracon desertor.

Bracon saturatè rufus; thorace anticè nigro maculatus: alis nigricantibus, lineolis duabus hyalinis.

Ichneumon sextus, Schæff. icon. ins. tom. 1. tab. 20. fig. 2. 3.

Ichneumon desertor, Fab. ent. syst. 2. 155. 29.

Bracon desertor. id. syst. piez. 103. 7.

Vipio nominator, Latr. hist. des ins. 13. 176. 1.

Habitat passim in Liguriâ.

Hæc species cum *Ich. desertore.* Lin. haud ritè confunditur, *Braconem nominatorem* potius appropinquat, sed major et distincta. Antennæ nigræ, corporis longitudine. Caput rufo-testaceum: maculâ triangulari verticali, oculis, stemmatibus tribus, mandibularum margine apicali, palpis, nigris. Thorax rufus, maculis tribus nigris oblongis anticè notatus: squamulâ rufâ medio nigrâ: lobo scutellari rufo, rugoso, lineolâ longitudinali medio excavatâ: pectore toto nigro. Abdomen subsessile, depressum, lineare; segmento primo medio nigromaculato; 2.° et 3.° li-

neis duabus decussatis impressis. Pedes antici rufi, coxis tantummodò nigris : intermedii rufi, coxis trochanteribus femoribusque nigris: postici nigri, tibiis tarsisque rufis.

Fœmina 12 lineis et amplius longa, terebrâ munita corpore duplo longiore (1); oviductu piceo; valvulis vaginantibus nigris ferè glabris.

Variat palporum articulis extremis dilutioribus et interdùm pallidis. *Mas* mihi incertus.

---

(1) Unumquidque genus propriam sibi et peculiarem habet logicam qua constanter duci debet entomologus meras varietates a speciebus discreturus. *Bracones* reverâ variant magnitudine, thoracis maculis et præsertim colore lobi scutellaris. Pedes, in perpaucis speciebus, quandoque nigri, quandoque rufi. Mares habitu fœminis similes, minores, plerique magis nigrescunt. Partium corporis proportiones, rostri mandibularis et terebræ dimensiones, et denique alarum maculæ primos et validiores suppeditant characteres. Ineunt deinceps colorum differentiæ regulariter circumscriptæ, femora vel simplicia vel incrassata, et notulæ nonnullæ ad singulas species spectantes quas in sequentibus descriptionibus illustrare conabor.

Ambigit

Ambigit hanc inter et sequentem speciem *Ichn. desestor* Christ tab. 39. fig. 8. sed meo judicio *Brac. desertori* adfinior est.

OBSERVATIO. *Bracon desertor* orem gerit linguæformem jam D.no FABRICIUS in *Bracone itineratore* observatum, attamen instrumentis cibariis ab aliis cospeciebus nullomodo differt, sed labium Braconum in majoribus valdè conspicuum sæpius ad instar linguæ producitur.

N.° 2. Bracon nominator.

Bracon luteus, nigro maculatus: alis fuscis, lunulâ albâ.

Ichneumon nominator. Fab. ent. syst. 2. 155. 93. Coq. ill. icon. dec. 1. tab. 4. fig. 2. Panz. fn. germ. fasc. 79. tab. 10.

Ichneumon terrefactor. Villers, ent. 3. 195. 194. Ross. mant. 1. 121. 266.

Bracon nominator. Fab. syst. piez. 104. 8.

Habitat passim in totâ Liguriâ.

Antennæ nigræ, vix corporis longitudine. Caput luteum aut rufum: maculâ verticali, oculis,

stemmatibus ,mandibularum apice, nigris : palpis pallidis. Thorax, lobo antico rufo et rarius maculis nigris duabus notato : intermedio rufo, maculis tribus nigris anticè notato : postico seu scutellari toto nigro, punctis plurimis elevatis, sulco longitudinali : pectore pleurisque nigris, anticè rufis. Abdomen depressum, lineare et quoad formam præcedenti simile, rufum ; ventre pallidiore : dorsi segmento 1.° basi nigro : 2.° maculâ nigrâ medio notato : reliquis immaculatis. Pedes antici omnino rufi : intermedii concolores : coxis extùs nigrescentibus : postici nigri, trochanteribus femoribusque paulò incrassatis rufis. Alæ nigræ, superiores obscuriores, lineolis duabus hyalinis transversis, exteriore interdum obsoletâ, alterâ majore lunulatâ.

Fœmina staturâ majore distincta. Terebra corpore longior. Abdominis annuli posteriores semper rufi, sed color rufus in istis saturatior.

Mas minor. Color rufus in toto corpore dilutior magis ad luteum vergit. Abdominis apex sæpius niger.

Variat abdomine toto luteo.

Bracon nominator a præcedente differt; (ambo sexus), 1.° staturâ minore; 2.° colore rufo dilutiore; 3.° thoracis lobo scutellari pleurisque nigris; 4.° pectore anticè rufo; 5.° femoribus posticis rufis: (*Mas*), abdominis apice sæpius nigro; (*Fœmina*), terebrâ, datis proportionibus, breviore.

N.° 3. Bracon deflagrator.

Bracon luteus, alis fuscis, fasciâ albâ.

Ichneumon desertor. Lin. fn. svec. 1605. (exclusâ schœfferianâ figurâ). Rossi, fn. etr. 2. 49. 779. Schr. enum. 366. 738.

Habitat in Liguriâ, præcedentibus rarior. In agro arquatensi captus.

Hæc est linneana, etsi brevis, nihilominus optima descriptio *Ich. desertoris.* « Parvus. » Corpus totum flavum. Oculi et antennæ cor- » pore breviores, nigra. Alæ fuscescentes, li- » turâ albâ. Aculeus corpore brevior. » faun. svec. 1605.

Rationem quàm maximam habeo auctoritatis D.[i] FABRICIUS, sed synonimiam *Brac. desertoris* in *Syst. Piez.* intricatissimam reperior.

1.° Schœfferiana figura quoque et D.[i] CHRIST Braconem repræsentant cujus est terebra corpore multo longior, quæ nota cum linneanâ descriptione *Ich. desertoris* absque dubio non congruit, et sola speciem aliam plané manifestat.

2.° D.[ni] CHRIST icon thoracem præbet immaculatum, probabiliter pictoris errore, nam de lineis tribus albis mentionem facit D. FABRICIUS et eas optimè *Schœffer* tabulâ citatâ depinxit, attamen LINNEUS corpus totum flavum *Ich. desertori* tribuit.

3.° In eadem descriptione expressè dicuntur *Alæ fuscescentes liturâ albâ*, ambo icones lineolas duas utrinque exhibent.

Ich. desertor. Lin. ideò D.° Fabricius nvisus et nunc largius illustrandus.

Pauca præcedenti descriptioni addenda. Caput, fronte introrsùm acuminatâ; mandibulis elongatis, rostrum productissimum efformantibus.

(*Brac. deflagrator* ad 1.am divisionem accedit *Vipionum* Latr.) Pedes lutei, femoribus incrassatis : postici, genubus tibiarum apice tarsisque nigris. Thorax, lobo scutellari inæquali, lineis quatuor elevatis longitudinalibus. Abdomen depressum, dimidiâ corporis magnitudine, sub-ovale.

Fœminæ terebra, oviductu luteo, valvulis nigro hirsutis.

Mas absque terebrâ, fæminæ in reliquis omnino similis.

OBSERVATIO. *Ichn. purgator*, hoc genus si pertinuisset, hìc locaremus.

N.° 4. Bracon castrator.

Bracon luteus : thorace nigro maculato; alis nigricantibus, maculâ flavâ, lineolis duabus hyalinis.

Ichneumon castrator. Fab. ent. syst. suppl. 223. 92.

Ichneumon tentator Rossi fn. etr. 2. 50. 783. *Mas.* (*Ich. tentator* Villers. ent. 3. 196. 200 omnino diversus).

Ichneumon cuniculator. Rossi, mant. 1. 120. 265.

Bracon castrator., Fab. syst. piez. 103. 4.

Habitat passim in totâ Liguria, in montibus Orerii sæpissimè captus, vel meridie vagans per flores umbellatos, vel primo vespere sub foliis arborum et præsertim coryli colurnæ ferè dormitans.

Antennæ nigræ, vix corporis longitudine. Caput luteum; oculis, stemmatibus, maculâ verticali, mandibularum apice, nigris: palpis luteis. Thorax luteus, albido villosiusculus: maculis tribus in margine antico nigris: lobo scutellari lævi nitido: pleuris pectoreque plus minusve nigrescentibus. Abdomen luteum, dimidiâ corporis longitudine: ventre dilutiore: segmenti anterioris superficie inæquali: reliquis margine coarctatis. Pedes antici lutei: intermedii posticique concolores, femorum tibiarumque apicibus nigris: femoribus posticis paulò incrassatis: tarsis nigro annulatis. Alæ fuscæ: superiores, maculâ costali flavâ propè punctum, fasciis duabus transversis hyalinis, exteriore minimâ.

Fœminæ terebra abdomen longitudine æquat. Oviductus ut in plerisque cospeciebus corpori concolor, luteus. Valvulæ vaginantes nigræ villosiusculæ.

Mas paulò minor : capite thoraceque magis ad flavum vergentibus : lobo scutellari sæpius nigro.

(N.° 5.) LI. BRACON LUTEATOR.

BRACON luteus; thorace maculato : alis fuscis, maculâ flavâ, lineolâ unicâ hyalinâ.

Habitat in montibus Orerii, præcedentibus rarior.

Long. 2. 1/2 lin. Lat. 1 1/3 lin.

Corpus villosiusiusculum, pilis oculo armato tantùm conspicuis. Antennæ ut in præcedente. Caput luteum : rostro mandibulari producto : maculâ verticali, oculis, stemmatibus, palpis pilosis, mandibularum apice, nigris. Thorax luteus : maculâ triangulari in margine antico, puncto oblongo utrinque ante alas, lobo scutellari, pectore toto nigris : pleuris alarumque squamulâ luteis. Abdomen dimidio corporis longius, luteum : segmento anteriore maculâ nigrâ transversâ notato : reliquis immaculatis.

culatis. Pedes lutei, coxis trochanteribusque nigris: postici, femoribus paulò incrassatis apice nigris, tibiis tarsisque nigris. Alæ fuscæ: superiores, stigmate flavo, fasciâ hyalinâ transversâ a stigmate prodeunte.

Fœmina terebram ducit corpore multo longiorem, tenuem, oviductu piceo, valvulis nigris hirsutis.

Variat 1.° Thoracis maculis majoribus atque coalitis.

2.° Lobo scutellari longitudinaliter sulcato medio luteo maculato.

Mas mihi deest.

Differt hæc species nostras a *Brac. nominatore* 1.° staturâ triplo minore: 2.° alarum stigmate flavo: 3.° pedum coloribus. Confer cum *Ichneumone vittato* Villers 3. 190. 175.

(N.° 6.) LII. BRABON RUBRICATOR.

BRACON luteus, alis fuscescentibus, stigmate flavo.

Habitat in montibus propè Genuam.

Long. 2. lin. Lat. 1/3 lin.

Corpus totum luteum, immaculatum. Oculi, stemmata, mandibularum apex, macula media pectoralis, tarsorum articulus ultimus cum unguiculis, nigra. Thoracis lobus scutellaris longitudinaliter sulcatus. Alæ fuscescentes; superiores, stigmate flavo, lineolis vel maculis hyalinis nullis quo charactere a præcedentibus manifestò differt.

Fœmina terebrâ munita vix corporis longitudine, valvulis hirsutis.

Mas minor. Antennæ, datis proportionibus, multo longiores.

Variat alis ferè hyalinis.

OBSERVATIO. Hìc locandus *Bracon urinator* Fab. et Panz. *Vipio urinator* Latr. *Ichneumon cuspidator* Rossi, species mihi invisa. Confer cnm *Ichn. melonaptero* Villers 3. 189. 171.

N.° 7. Bracon denigrator.

Bracon niger, abdomine coccineo, alis nigris lineolis duabus hyalinis.

Ichneumon impostor Scop. ent. carn. 287. 758. Schr. enum. 365. 736. Vill. ent. 3. 186. 159.

Ichneumon incertus Christ. tab. 39. fig. 9.

Ichneumon à ventre coucur de cerise. Geoff. 2. 352. 69.

Ichneumon septimus, Schœff. icon. tab. 20. fig. 4.5. (*fœm.*) *vigesimus quartus* id. tab. 52. fig. 4. (*mas.*)

Ichneumon denigrator. Fab. ent. syst. 2. 161. 112. Panz. fn. germ. fasc. 45. tab. 14 Rossi fn. etr. 2. 46. 771.

Bracon denigrator. Fab. syst. piez. 109. 33.

Vipio denigrator. Latr. hist. des ins. 13. 177. 4.

Habitat in tota Liguriâ admodùm frequens.

Antennæ nigræ, corporis longitudine. Caput

concolor, thorace multo angustius. Thorax itidem niger, lævis, nitidus, lente perspicitur villosiusculus: lobo scutellari absque sulco longitudinali. Abdomen depressum, ovale, coccineum, segmentorum marginibus paulò coarctatis. Pedes nigri. Alæ concolores, fasciis duabus hyalinis, primâ majore lunulatâ.

Fœmina major: terebrâ abbreviatâ incurvâ, vix abdominis longitudine: valvulis apice clavatis.

Mas minor.

Variat magnitudine, sæpius Long. 11. lin. Lat. 2. lin. quamobrem specimen D.no Panzer depictum aut insolito more exiguum, aut scala longitudinalis erronea.

*N.*o 8. *Bracon flavator.*

Bracon niger, abdomine flavo, alis nigris, fasciis hyalinis.

Ichneumon denigrator Lin. syst. nat. n. 28. fn. svec. 1604. Schranck enum. 366. 737. Villers ent. 3. 165. 94. (exclusis synonimis fabricianis atque geoffroianis).

Ichneumon nonagesimus Schœff. icon. tab. 235. fig. 5. 6.

Ichneumon flavator, Fab. ent. syst. 2. 161. 113. Coq. ill. icon. dec. 2. tab. 11. fig. 9. Latr. hist. des ins. 1. 3. 180. 6.

Bracon flavator. Fab. syst. piez. 110. 36.

Habitat passim in Liguriâ.

Accedat descriptio *Ich. denigratoris* summo magistro A LINNÈ primùm tradita. « Medius. » Corpus atrum, læve. Antennæ vix longitudine » corporis. Abdomen subsessile, flavum. Acu- » leus longitudine corporis. Alæ nigræ, supe- » riores in medio lunula albida. » Nec abdominis color, nec terebræ dimensiones *Brac. denigratori* Fab. convenire possunt, et contra omnino congruunt cum ipsius *Brac. flavatore* et cum tabulâ citatâ D.r COQUEBERT.

Pauca, quod solet, linneanæ descriptioni addenda. Rostrum mandibulare ut et in præcedente deorsùm minus productum hanc speciem secundæ Vipionum latreilleanorum divisioni amandat. Pedes toti nigri, quo charactere a sequentibus

Bracon flavator speciatim distinguitur. Alæ nigræ, rarius fuscæ : superiores fasciis duabus transversis hyalinis, primâ magnâ lunulatâ. Abdomen ovale. Femora neutiquam incrassata.

Fœminæ terebra longitudine corporis, linearis, acuta, nunquam clavata ut in *Brac. denigratore*, valvulis ferè glabris usque ad apicem fulta.

Mas fæminæ similis, sed multo minor.

Variat 1.° magnitudine ; specimina majora longa 12 lineis, minora vix 2 lineis.

2°. Lineolâ hyalinâ exteriore nullâ et presertim apud specimina minima.

3.° Abdominis apice aliquando nigrescente.

(N.º 9.) LIII. BRACON ROSTRATOR.

Bracon niger, abdomine tibiisque flavis: alis nigris, fasciâ unicâ hyalinâ.

Habitat cum præcedente, in montibus Orerii sæpe captus.

Bracon flavatori affinis at distinctus. Antennæ nigræ, corporis longitudine. Caput nigrum: rostro mandibulare deorsùm producto ut in *Brac. deflagratore*. (Ad primam divisionem pertinet.) Vipionum latreilleanorum. Thorax niger lævis. Abdomen ovale flavum. Pedes quatuor antici nigri, femorum apice tibiisque flavis: postici flavi, coxis tibiarum apice tibiisque nigris. (Pedum flavedo hanc speciem satis a præcedente separat.) Alæ fuscæ: superiores fasciâ unicâ transversâ hyalinâ.

Fœmina terebram gerit linearem, nigram, corporis longitudine.

Mas paulò minor. Abdomen, segmento anteriore supra nigro. Pedes nigri : antici quatuor genubus tantùm, postici femorum apice atque tibiis, flavis.

N.° 10.

(N.° 10.) LIV. BRACON DELUSOR.

Bracon niger, mandibulis abdomine pedibusque flavis : alis nigris, lineolâ transversâ hyalinâ.

Habitat in montibus Orerii, rarus.

Long. 2. lin. Lat. 1/2 lin.

Antennæ nigræ, corpore longiores. Caput nigrum : mandibulis flavis parum productis : palpis pallidis. Thorax niger, immaculatus. Pedes flavi tarsis nigris. Alæ fuscæ, fasciâ unica hyalinâ.

Fœmina, terebrâ abbreviatâ vix abdominis longitudine.

Mas, abdominis apice sæpius nigro.

Ni brevitas terebræ obstasset varietatem putarem *Brac. flavatoris*.

Observatio. Hìc sedem habeat *Bracon initiator* Fab. nondum in Liguriâ inventus. Præcedentibus quàm maximè affinis sed distinctus.

N.° 11. *Bracon minutator.*

Bracon ater : abdomine rufo, lineâ dorsali atra : alis fuscis.

Ichneumon minutator. Fab. ent. syst. suppl. 224. 111.

Bracon minutator. id. syst. piez. 110. 35.

Habitat passim in totâ Liguriâ.

Antennæ nigræ, corpore longiores. Caput nigrum. Thorax concolor. Abdomen vel flavum vel luteum, lineâ dorsali e punctis nigris. Pedes toti nigri. Alæ fuscæ, apice dilutiores : superiores, fasciâ transversâ hyalinâ a stigmate prodeunte.

Fœminæ terebra nigra abdominis longitudine.

Mas interdum minor. Linea dorsalis abdominis punctis conflatur majoribus utrinque magis dilatatis, nonnunquam totum obtegit dorsum.

Variat uterque sexus, 1.° Abdomine supra toto nigro, excepto primo segmento utrinque flavo maculato, maculâ sæpius triangulari : pedibus plus minusve flavescentibus

Bracon guttator. Panz. fn. germ. fasc. 92. tab. 8.

2.° Abdomine toto nigro : ventre concolore : alis dilutioribus, fasciâ hyalinâ ferè obliteratâ.

Hæc specimina anomala totidem species distinctas diu existimavi, sed repetitis venationibus, alia inveni intermedia et mihi defuit validus character specificus.

(N° 12.) LV. BRACON VARIEGATOR.

Bracon nigro flavoque varius : alis basi fuscis, apice hyalinis

Habitat in montibus Orerii.

Magnitudo præcedentis. Antennæ nigræ, corpore longiores. Caput flavum aut luteum, oculis stemmatibus mandibulisque nigris : palpis pallidis : maculâ verticali cui stemmata insident nigrâ subquadratâ. Thorax niger : maculâ rotundatâ dorsali, lineolis duabus longitudinalibus a margine antico prodeuntibus, luteis : lobo scutellari toto nigro, nitido. Abdomen flavum vel luteum, dorso nigro. Alæ fuscæ, apice hyalinæ, absque fasciis maculisve discoloribus : stigmate nigro.

Fœmina antennis brevioribus, articulis magis

distinctis; abdomine supra toto nigro, segmentorum basi interdum lutescente: terebrâ abbreviatâ ferè reconditâ.

Mas, antennis corpore duplo longioribus: abdominis annulis anterioribus supra luteis.

(N.° 13.) LVI. BRACON FASCIATOR.

Bracon nigro rubroque varius : alis fuscis, fasciâ latâ flavicante.

n Liguriâ rarior, in agro arquatensi semel captus.

Long. 2. 1/2 lin. Lat. 1/2 lin.

Antennæ nigræ, corporis longitudine. Caput flavicans : collo toto, maculâ mediâ verticis cum stemmatibus, oculis, mandibularum apice, palpis, nigris. Thorax supra niger : lobo intermedio maculâ magnâ ferrugineâ in medio notato : pleuris anticè ferrugineis. Abdomen segmentis quatuor anterioribus saturatè ferrugineis : reliquis nigris. Pedes nigri : antici, tibiis tarsisque pallidis : postici quatuor, genubus tantùm pallescentibus. Alæ fuscæ : superiores flavo transversè

fasciatæ, fasciâ latâ a basi stigmatis prodeunte marginem posticum versus attenuatâ.

Mas descriptus. *Fœmina* mihi huc usqne invisa.

SECTIO 2.a

BRACONES *abdomine subsessile, segmentis tribus anterioribus maximis.*

N.° 14. *Bracon gasterator.*

Bracon niger, abdominis segmentis anterioribus rubris : alis hyalinis.

Bracon gasterator. Jur. tab. 8. fig. 5. G. 3.

Habitat passim in Liguriâ.

Antennæ nigræ, corpore longiores. Caput nigrum; rostro mandibulari brevissimo ut in reliquis cospeciebus ejusdem sectionis: mandibulis piceis; palpis nigris. Thorax niger: lobo scutellari inæquali, punctis plurimis elevatis. Abdomen, segmento 1.° et 2.° omnino rufis, longitudinaliter striatis, lineâ mediâ carinatâ: 3.° basi rufo atque striato, margine postico nigro læ-

vigato : reliquis abbreviatis lævibus : Pedes nigri ; antici lutei. Alæ hyalinæ.

Fœminæ terebra brevissima recondita.

Variat. 1° pedibus totis nigris.

2.° pedibus nigris, tibiis anticis tarsisque rufis.

3.° Pedibus nigris, anticis exceptis omnino rufis.

Mas ab altero sexu vix distinctus.

(N.° 15.) LVII. BRACON DIMIDIATUS.

Bracon ferrugineus, abdomine thoraceque posticè nigris : alis fuscis, lineolâ hyalinâ.

Habitat propè Genuam, rarus.

Antennæ corpore breviores, dimidiatìm bicolores, basi ferrugineæ, apice nigræ. Corpus punctis elevatis inæqualibus scabrum, oculo nudo glaberrimum : lente validâ perspiciuntur pili perpauci cinerei brevissimi et raró dissiti. Caput ferrugineum, immaculatum : mandibulis concoloribus : oculis stemmatibus palpisque nigris. Thorax niger : dorso anticè obscurè ferrugineo. Abdomen depressum : segmentis tribus anterioribus maximis rubris ; reliquis nigris. Pedes rufi : femorum posticarum apice et tarsorum articulo ultimo cum unguiculis, nigris.

Alæ dilutè fuscescentes : maculâ costali lineolâque obliquà hyalinis. Terebra, hac in specie ut in aliis ejusdem sectionis, brevissima, sæpius sub ultimo segmento abscondita.

(N.° 16.) LVIII. BRACON BIFASCIATUS.

BRACON capite thoraceque rufis : abdomine nigro : alis hyalinis fusco bifasciatis.

Habitat propè Genuam, rarior. Specimen unicum vidi, in museo D.ni MARCHELLI, captum in loco dicto *Oh Regina.*

Long. 2. lin. Lat. 1/3 lin.

Habitus specierum ejusdem sectionis. Antennæ ferrugineæ. Caput cum thorace rubro-luteum, nitore ferè metallico splendens. Abdomen nigrum, nitidum; segmentorum incisuris paulò coarctatis : terebrâ nigrâ, brevi, vix dimidiâ abdominis longitudine. Pedes nigri : tarsis omnibus ferrugineis : coxis femoribusque posticis nigro annulatis. Alæ hyalinæ : superiores, fasciis duabus fuscis, fasciâ exteriore dilatatâ et albo maculatâ. *Mas* mihi invisus.

(N.° 17.) LIX. BRACON COXALIS.

BRACON niger, coxis trochanteribusque piceis: alis hyalinis.

Habitat in agro arquatensi, rarus.

Long. 2. 1/2 lin. Lat. 1/2 lin.

Antennæ nigræ, corpore longiores. Caput itidem nigrum: rostro mandibulari abbreviato palpisque concoloribus. Thorax niger: lobo scutellari rugoso, lineâ longitudinali medio in carinam elevatâ. Abdomen nigrum: segmentis tribus anterioribus maximis, superficie inæquali, punctis plurimis elevatis: 1.° et 2.° medio sub-carinatis: reliquis lævibus minimis. Pedes nigri: coxis trochanteribus femorumque maculâ basilari piceis: tarsis apice brunneis. Alæ

hyalinæ, rarius apice fuscescentes : stigmate nigro, maculâ niveâ:

Fœmina terebrâ armatur brevissimâ , vix exsertâ.

Mas femorum maculâ basilari piceâ multo majore.

(N.o 18.) LX. BRACON BICOLOR.

Bracon niger; capite thorace anticè pedibusque rubris.

Habitat in Liguriâ, haud infrequens.

Long. 3. lin. Lat. 2/3 lin.

Antennæ nigræ, articulo primo rubescente. Caput rubrum: maculâ verticali cui ocelli insident, oculis, mandibularum margine interno, palpis, nigris: ocellis, seu stemmatibus hyalinis. Thorax bicolor: lobo antico seu collari toto rubro: intermedio pariter rubro: scutellari rugoso, nigro, medio carinato: pleuris anticè rubris, posticè nigris: pectore nigro, exceptâ lobi collaris parte inferâ rubrâ. Abdomen nigrum, quoad formam, ut in præcedentibus; segmentis tribus anticis maximis rugosis: 1.° et 2.° medio lineolâ longitudinali elevatâ: reliquis

minimis lævigatis. Pedes toti rubri. Alæ hyalinæ; stigmate nigro, maculâ parvâ albidâ.

Fœmina terebram gerit abbreviatam, vix longam 1/4 lin.

Variat 1.° abdomine, segmentis dorsalibus posterioribus rubescentibus.

2.° abdomine toto rubro.

Mas multo magis nigrescit. Capitis macula verticalis nigra major, ad antennas accedit. Thorax, lobo collari testaceo subtùs nigro : intermedio nigro, anticè paulò rubescente. Pedes, tarsis nigris. Alæ interdùm fuscescentes.

(N.° 19.) LXI. BRACON UNICINCTUS.

BRACON *niger, cingulo in segmento tertio testaceo.*

Habitat in montibus Orerii, rarus.

Long. 1. $^2|_3$ lin. Lat. $^1|_3$ lin.

Mas. Antennæ nigræ, primis articulis subtùs pallidis. Caput nigrum : clypeo mandibulisque testaceis : palpis pallidis. Thorax niger, rugosus : lobo scutellari, lineâ longitudinali ad instar carinæ in-medio elevatâ. Abdomen nigrum, rugosum : segmentis 1.° et 2.° lineâ longitudinali elevatâ : 3.° rugoso, cingulo pallido : reliquis lævigatis, brevissimis. Pedes testacei, tarsis apice nigris. Alæ hyalinæ : squamulâ basilari testaceâ : stigmate nigro, maculâ albâ notato.

Fœminam huc usque non detexi.

(N° 20.) LXII. BRACON TESTACEUS.

Bracon testaceus, lobo scutellari nigro.

Habitat propè Genuam, rarus.

Magnitudo præcedentium. Antennæ corpore longiores, basi testaceæ, apice nigricantes. Thorax testaceus, lobo scutellari nigro. Abdomen itidem testaceum. Alæ hyalinæ: stigmate testaceo; nervis nigris. Caput, oculis maculâ verticali stemmatibusque nigris. Pedes elongati testacei.

Fœmina, terebrâ abbreviatâ ut in cospeciebus ejusdem sectionis.

Variat thorace anticè nigro maculato. Confer cum *Basso testaceo* Fab. syst. piez. 101. 31. Specimina nostra differunt lobo scutellari nigro.

Mas nondum inventus.

Hæc species a plerisque Braconibus abludit *Pseudoradio* alarum inferiorum post stigma obliterato, quodque pariter occurrit iu *Brac. bicolore* et *unicincto.*

Sectio 3.ª

Bracones *abdomine petiolato.* *V. pag. seg.*

(N.° 21.) LXIII BRACON. CHLOROPHTHALMUS.

Bracon testaceus, oculis viridibus : abdomine petiolato ; alis hyalinis.

Semel captus in montibus Orerii.

Long. 3. 1/2 lin. Lat. 2/3 lin.

Antennæ testaceæ, corporis longitudine, in specimine meo mutilatæ. Caput testaceum : oculis splendidè viridibus : ocellis mandibularumque margine interno nigris : palpis testaceis. Thorax testaceus, propè alarum basim obscurior : lobo scutellari concolore, lineolâ longitudinali medio excavatâ. Abdomen testaceum, fusiforme, petiolatum : segmento 1.° petiolum efformante, longitudine reliquorum, cylindrico, supra profundè sulcato : 2.° anticè angusto, posticè dilatato : reliquis latitudine subæqualibus : posticis angustioribus : ventre fornicato,

segmentorum ventralium marginibus nigrescentibus. Pedes toti testacei, tenues, elongati: femoribus neutiquam incrassatis. Alæ hyalinæ: stigmate nervisque testaceis: nervo unico recurrente nec primâ nec secundâ cellulâ cubitali excepto, sed cum altero dictas cellulas sejungente connato: inferiores ut in *Brac. gasteratore* et plerisque cospeciebus.

Fœmina terebram gerit abdomine paulò longiorem: oviductu piceo; valvulis nigris hirsutis.

Mas ignotus.

(N.° 22.) LXIV. BRACON CINCTELLUS.

Bracon niger, abdominis segmento 2.° pallido: alis hyalinis.

Apud nos rarior, in montibus Orerii semel inventus.

Long. 2. lin. Lat. 1/3 lin.

Antennæ pallidæ, corpore duplo longiores. Caput nigrum: clypeo mandibulisque testaceis: palpis pallidis. Thorax niger: alarum squamulâ pallidâ: lobo scutellari rugoso, punctis lineolisque plurimis elevatis. Abdomen fusiforme petiolatum: segmento 1.° seu petiolo tertiam abdominis partem longitudine æquante, nigro, punctis elevatis supra scabro, basi angustiore, margine postico dilatato: 2.° toto pallido, fasciam abdominalem efformante: reliquis nigris,

margine villosiusculis : ventre pallido. Pedes ut in præcedente debiles et elongati , pallidi ; coxis posticis crassioribus, nigro maculatis. Alæ hyalinæ, nervis nigris : superiores, cellulâ cubitali primâ nervum recurrentem excipiente, secundâ minimâ, stigmate nigro maculâ albâ notato : inferiores ut in præcedente. Marem describo unicum nunc sub oculis positum, fæminâ hactenùs ignotâ.

(N.° 23.) LXV. RRACON PETIOLATUS.

BRACON testacus nigro maculatus : alis hyalinis, fasciis duabus fuscis.

In montibus Orerii semel inventus.

Insectum minutissimnm vix ad lineam longitudine accedit.

Antennæ nigræ. Caput quoque nigrum. Thorax, lobo collari toto testaceo : intermedio in dorso testaceo et in pectore nigro : scutellari nigro : pleuris testaceo nigroque variis. Abdomen nigrum, petiolatum : petiolo, dimidiâ abdominis longitudine. Pedes testacei. Alæ hyalinæ fasciis duabus fuscis.

N.° 24. Bracon rubidus.

Bracon ruber, abdomine petiolato nigro ; alis hyalinis, fasciis duabus fuscis.

Ichneumon rubidus, Rossi mant. app. 2. 110. 88.

Habitat in Liguriâ, haud infrequens.

Long. 1. ¹|₂ lin. Lat. ¹|₃ lin.

Antennæ rufæ, in utroque sexû, corpore ferè duplo longiores. Caput splendidè rubrum : oculis, maculâ verticis, mandibularum apice, nigris : stemmatibus hyalinis translucidis : palpis rufis. Thorax itidem splendidè ruber, inter alas paulò obscurior : lobo scutellari lævigato, lineolis tribus longitudinalibus paulò elevatis : et vix conspicuis; pectore rubro. Pedes antici omnino rufi : intermedii rufi, tibiis nigris maculâ basilari albâ : postici, coxis trochanteribusque rubris, femoribus nigris, tibiis nigris basi albo maculatis, tarsis brunneis apice nigris : femoribus omnibus incrassatis. Abdomen longè petiolatum, nigrum; petiolo uniarticulato, dimidiâ abdominis longitudine, supra striato, obscurè rubro : 2.° segmento magno, basi punctato, margine lævigato : reliquis abbreviatis lævibus. Alæ hyalinæ : superiores, fasciis duabus latis fuscis, stigmate nigro maculâ albâ notato, cellulâ secundâ

cubitali

cubitali magnâ nervum recurrentem excipiente : inferiores hyalinæ, supra satis descriptæ.

Fœmina terebram gerit basi rubescentem, apice nigram, longitudine abdominis.

Variat rarius femoribus posticis nigris.

Mas staturâ minore distinctus, antennis longioribus, pedibus totis rubris, abdominisque petiolo prorsùs nigro.

OBSERVATIO. Familiæ 2.a et 3.a Braconum mandibulis dotantur rostrum abbreviatum efformantibus, quo charactere, species cunctæ ad secundam divisionem pertinent *Ichn. rostrulatorum* seu *Vipionum* Latr.

Species duas seqnentes nuperius detectas familiæ primæ *Braconum* adnumero.

(N.° 13–14.) LXVI. BRACON COLLARIS.

Bracon niger, thorace anticè rubro : alis hyalinis.

Propè Genuam captus, admodùm rarus.

Long. 1. 1/2 lin. Lat. 1/3 lin.

Antennæ nigræ et more solito corpore longiores. Caput nigrum; fronte clypeo mandibulis palpisque testaceis. Thorax, lobo collari toto rubro testaceo : intermedio supra toto rubro, subtùs anticè rubro et posticè nigro : scutellari toto nigro : pleuris anticè rubris, medio brunneis, posticè nigris. Abdomen nigrum, plus dimidio corporis longum, depressum, lineare : segmento tertio obscurè ferrugineo. Pedes debiles, elongati, testacei, femoribus attenuatis. Alæ hyalinæ,

stigmate nervisque testaceis, maculâ parvâ albidâ in stigmate.

Fœmina, terebrâ abdominis longitudine, valvulis hirsutis.

Mas nondum visus.

(N.o 13--14.) LXVII. BRACON SIMILATOR.

BRACON niger, pedibus testaceo annulatis : alis hyalinis.

Habitat in montibus Orerii.

Magnitudo præcedentis. *Fœmina.* Antennæ nigræ vix corpore longiores. Caput obscurè luteum : maculâ verticis, alterâ in fronte, collo toto, mandibularum margine interno, oculis, nigris : palpis testaceis. Thorax niger, immaculatus. Abdomen concolor: segmentis quinque anterioribus subæqualibus maximis ; primo utrinque testaceo : ventre pallido fornicato ; terebrâ, abdominis longitudine, nigrâ valvulis hirtis. Pedes nigri : femoribus tibiis tarsisque testaceo annulatis : femoribus incrassatis. Alæ hyalinæ, puncto nervisque nigris.

Variat capite toto nigro, abdominisque segmento primo concolore.

Mas minor, differt abdominis basi et apice pallidis, pedibusque totis testaceis. *Bracones* mares plerosque a fæminis distinguimus toti corporis colore saturatius nigro, cujus regulæ exceptionem invenimus hac in specie et in *Brac. variegatore* jam descripto.

OBSERVATIO. Bracones nonnullos dixi femoribus incrassatis instructos; noli tamen hanc crassitiem conferendam putare cum eâ quam observare possumus in *Leucospidibus* et in *Chalcidibus* nam multo minor, hoc in genere, ocurrit. Femora Braconum incrassata confer potius cum iisdem partibus *Bassi ruspatoris* Fab. et *Bassi* vel *Ich. circulatoris* Panz. fasc. 79. tab. 12. etc. etc.

II. G. MICROGASTER.

Character essentialis.

PALPI quatuor inœquales : anteriores quinque articulati; postesiores triarticulati.

Labium simplex, breve, margine integro.

Mandibulœ validœ, breves, apice nec dilatatœ nec supra dehiscentes.

Antennæ *setaceœ multi-articulatœ.*

Genus *Microgaster* a D.no Latreille mutuatum, nec D.is Fabricius et Panzer nec D.no Jurine hùc usque admittitur. Ultimus tamen familiam peculiarem secundam ex nostris Microgastris constituit cum quibus conjungit *Agat. malvacearum* Lat. sub nomine *Ichn. Panzeri*, speciem probabiliter

(1) *Agathis malvacearum* nondum in Liguriâ inventa, *locum* non habet in meâ monographiâ.

genericè distinctam (1). D.us Panzer *Mic. deprimatorem* inter Bassos locavit, ratione non habitâ de articulorum numero tùm in palpis maxillaribus cùm in labialibus, (*Panz. Kritisch. revis. pag.* 75). D.us Fabricius *Microgastros* in generibus variis disseminavit, plerosque Cryptis, *Mic. auriculatum* et *deprimatorem* Ichneumonibus et *Mic. sessilem* Ceropalidibus adnumeravit.

Inst. Cib.—*Palpi* quatuor inæquales filiformes: maxillares longiores, glabri, quinque-articulati, articulatis subæqualibus; *labiales* triarticulati. *Maxillæ* longitudine labii, vaginantes, corneæ: processu terminali vix membranaceo, rotundato, obtegente. *Labium* simplex, breve integrum, nunquam linguæforme. *Mandibulæ* breves, validæ, apice vix fissæ, sæpius truncatæ, nec dehiscentes nec rostriformes. *Antennæ* setaceæ multiarticulatæ.

Caput parvum: oculis oblongis lateralibus: stemmatibus tribus in triangulum dispositis: antennis corpore ferè duplo longiores, articulis vix distinctis.

Thorax dilatatus, capite duplo latior : lobo collari abbreviato, recondito : intermedio maximo : scutellari rugosissimo, linèolis supra elevatis, posticè abruptè truncato.

Abdomen ferè triangulare, longitudine thoracis, depressum : ventre fornicato : segmentis anterioribus interdùm striatis. Terebra aut saltem terebræ valvulæ vaginantes ab abdominis basi prodeunt.

Pedes antici quatuor breves, subæquales ; postici maximi, femoribus abdominis longitudine.

Alæ, quoad superiores, *Vid. Jurine pag.* 98.

Cellula radialis, *una, magna.*

Cellulæ cubitales *tres : prima parva, excipit nervum recurrentem : secundus nervus deest : secunda minutissima; tertia maxima, alæ margine semper non attingit.*

Quoad inferiores. — *Nervi brachiales* 3, *pseudoradio* ante stigma tortuosè inflexo. *Stigma* vix conspicuum. *Cellula submarginalis* præcedenti subæqualis, pariter angusta *aperta. Nervus tertius* alæ

alæ marginem non attingit. Loco hamulorum pili brevissimi limbum assuunt anteriorem.

Specierum atque varietatum terminos ad imponendos, alæ diversimodè depictæ, segmenta anteriora plus minusve striata, pedumque colores, aptiores mihi videntur characteres.

N.° 1. Microgaster globatus.

Microgaster totus niger, pedibus rufis : alis apice fuscis.

Cryptus globatus Fab. syst. piez. 89. 88.

In Liguriâ obvius occurrit.

Differt a sequentibus, abdominis segmentis duobus anterioribus supra striatis, reliquis lævigatis : pedibus rufis, coxis omnibus tarsisque posticis nigris. Alæ fuscecentes, apice saturatiores.

N.° 2. Microgaster auriculatus.

Microgaster niger, segmentis intermediis rufis.

Ichneumon auriculatus. Fab. syst. Piez. 69. 82.

Apud nos rarior.

Fabricianæ descriptioni addam. Alæ hyalinæ ; superiores , fasciolis duabus fusc's in Abdomen , segmentis tribus anterioribus rugosis.

N.° 3. Microgaster deprimator.

Microgaster niger , pedibus rufis : alis hyalinis , fasciis duabus fuscis.

Ichneumon deprimator Fab. syst. piez. 69. 88. Panz. fn. germ. fasc. 79. tab. 11.

In Liguriâ frequens.

Alæ ut in præcedente. Abdomen omnino nigrum , segmento primo maximo rugoso. Pedes toti rufi.

N.° 4. Microgaster sessilis.

Microgaster niger , tibiis tarsisque rufis : alis hyalinis.

Ceropales sessilis Fab. syst. piez. 187. 8.

Habitat passim in totâ Liguriâ.

Alæ profectò hyalinæ , stigmate nigro. Abdomen neutiquam cylindricum , sed supra depressum et subtùs fornicatum , triangulare ut

in reliquis Microgastris: segmentis 1.° et 2.° basi supra rugosis. Pedes rufi, coxis femoribus tarsisque nigris.

N.° 5. Microgaster glomeratus.

Microgaster niger, pedibus totis rufis: alis hyalinis.

Cryptus glomeratus. Fab. syst. piez. 90. 89.

In totâ Liguriâ haud infrequens.

Alæ hyalinæ, stigmate flavo. Pedes toti rufi, femoribus tarsisque concoloribus. Abdomen supra lævigatum: segmento primo vix basi rugosiusculo.

N.° 6. Microgaster alvearius.

Microgaster flavus, thorace posticè abdominisque dorso nigris.

Cryptus alvearius Fab. syst. piez. 90. 91.

Propè Novas inventus.

Alæ hyalinæ: superiores, stigmate nigro. Abdomen, segmentis primo et secundo totis tertioque basi rugosis. Pedes testacei, genubus posticis nigrescentibus.

N.° 7. Microgaster aphidum.

Microgaster niger, abdominis basi pedibusque quatuor anticis testaceis: alis hyalinis.

Cryptus aphidum, Fab. syst. piez. 91. 92.

In Liguriâ haud infrequens.

Alæ hyalinæ, stigmate nigro. Pedes quatuor antici rufi seu testacei; postici, concolores coxis femoribus nigris. Abdomen supra perfectè lævigatum; segmento primo testaceo: ventre pallido.

Variat segmento 1.° nigro utrinque testaceo.

Observatio. Microgastrorum præcedentium descriptiones trado abbreviatas, quæ verùm notulas hactenùs omissas speciatim indicant, quòd reliqua in scriptis D.ni Fabricius facilè reperiri possunt.

(N.° 8.) LXVIII. MICROGASTER DORSALIS.

MICROGASTER niger, ventre pedibusque rufis.

Habitat passim in Liguriâ.

Long. 2. lin. Lat. ½ lin.

Antennæ nigræ, corpore longiores. Caput nigrum. Thorax concolor. Abdomen supra nigrum; segmentis tribus anterioribus rugosis: ventre rufo, pallidiore. Pedes rufi, genubus nigris, tarsis nigro annulatis. Alæ hyalinæ, stigmate nigro.

Fœmina terebram gerit abbreviatam, vix conspicuam.

INSECTORUM CATALOGUS
JAM
AUCTORIBUS ENUMERATORUM,
QUÆ IN
AGRO LIGUSTICO OCCURRUNT.

HYMENOPTERA. (*Lini Lat.*)
PIEZATA. (*Fab.*)

I. G. CIMBEX (*Oliv. Fabr. Latr.*)
G. TENTHREDO (*Jur.*)

4. CIMBEX SERICEA. *Fab. syst. piez. p.* 18. *n.* 10.
Habitat propè Genuam.

5. CIMBEX AXILLARIS. *Panz. fasc.* 84. *fig.* 11. *Jur. tab.* 4. *fig.* 1.

Cimbex humeralis. *Walck. fn. par.* 2. 33. 5. 33. 5.

Tenthredo, etc. *Geoffr.* 2. 262. *Fourcroi. ent. paris.* 2. 361. 1.

Specimen unicum propè Novas inveni.

II. LOPHYRUS (*Latr.*) G. Hylotoma *Fab.* G. Pteronus. (*Jur.*)

1. Lophyrus difformis. *Latr.*

Tenthredo difformis, *Panz. fn. germ. fasc.* 72. 10.

Propè Genuam haud infrequens.

Specimina omnia in Liguriâ inventa, a figurâ Panzerianâ manifestò differunt antennis profectò nigris. Nonne iconographi error, an ejusdem speciei frequentior varietas?

III. G. TENTHREDO. G. atlantus. (*Jur.*)

23. Tenthredo tricincta. *Fab. syst. piez.* 30. 5.

Habitat in totâ Liguriâ, haud infrequens.

24. Tenthredo albicornis. *Fab. syst. piez.* 34. 23.

Apud nos rarior.

Specimen unicum cepi, hoc anno, in montibus Orerii.

25. TENTHREDO ANALIS. *Fab. syst. piez.* 33. 17.

Tenthredo decima octava, *Schœffer. icon. ins. tab.* 186. *fig.* 3.

Propè Genuam haud infrequens.

Long. 5. lin. Lat. 1 1/4 lin.

Fœmina. Antennæ novemnodiæ, nigræ. Caput nigrum, clypeo labro superiore mandibulisque nigris. Thorax niger immaculatus, cenchris concoloribus. Abdomen nigrum: segmentis 2.° 3.° et 4.° rufis, reliquis posterioribus nigris, utrinque subtùs puncto albo notatis; ultimo supra apice albo. Pedes quatuor antici albidi, femoribus supra nigrescentibus: postici omnino nigri. Alæ fuscescentes.

Mas mihi incertus.

26. TENTHREDO SCUTELLARIS. *Fab. syst. piez.* 39. 51. *Panz. fasc.* 98. *tab.* 12.

In totâ Liguriâ obvia occurrit.

27. TENTHREDO.

27. Tenthredo viridis, *Fab. syst. piez.* 40. 52.
Habitat in montibus Orerii.

Doleri, Jur.

28. Tenthredo eglanteriæ, *Fab. ent. syst.* 2. 109. 19.
Hylotoma eglanteriæ. *id. syst. piez.* 25. 18.
Capta in loco dicto Arenzano.

IV. G. NEMATUS, *mihi.*

Familia prima.

1. Nematus æthiops, *mihi.*
Tenthredo æthiops. *Fab. syst. piez.* 39. 29.
Apud nos, haud infrequens.

2. Nematus nigritus, *mihi.*
Tenthredo nigrita, *Fab. syst. piez.* 39. 47.
Habitat cum præcedente, ejusdem fortè mera varietas, ni potius sexus alter.

3. Nematus annulatus, *mihi.*
Hylotoma annulata. *Fab. syst. piez.* 26. 23.
Præcedentibus rarior.
A *Tenthredine paganâ, Panz. fasc.* 49. *tab.*

16. ad Hylotomas amandandâ absque dubio distincta.

Huic familiæ adnumerentur *Hyl. melanocephala, serva, spinarum, ovata, Hyl. ventralis mihi.*

Familia secunda.

4. NEMATUS CINCTUS, *mihi.*

Dolerus cinctus, *Jur. tab.* 5. *fig.* 5.

Habitat propè Genuam.

Hìc collocabimus *Tenth. germanicam, abietis, tarsatam*, &c.

Familia tertia.

5. NEMATUS SEPTENTRIONALIS, *Jur.*

Tenthredo septentrionalis, *Fab. syst. piez.* 42. 63.

In montibus Orerii inventus.

Habitat quoque in Etruriâ, et probabiliter in totâ Europâ australi, quod cum nomine triviali certè non congruit.

6. NEMATUS LUCIDUS, *Jur.*

Tenthredo lucida, *Panz. fasc.* 82. *tab.* 10.

Habitat in totâ Liguriâ, haud infrequens.

Maris figuram edidit D.us Panzer. *Fœmina* simillima, paulò major, abdominis segmentis 2.° 3.° et 4.° rubris triangulo obscuro medio notatis. Mandibulæ, latere interno inermi.

7. NEMATUS CAPREÆ, *Jur.*

Tenthredo capreæ, *Fab. syst. piez.* 35. 30.

Apud nos rarior.

N. B. Hùc referatur *Tenthredo stigma.*

Familia quarta.

N. B. *Tenthredo myosotidis* hanc ad familiam pertinet.

V. G. CYNIPS (*Lin. Fab.*) G. DIPLOLEPIS. (*Latr.*)

Plura de Cynipedibus atque de gallis inobservata latent, et disquisitiones meas tradere non audeo, quòd immaturæ mihi videntur, et dubia permulta adhuc mihi inhœrent. De asserendo nihilominus non vereor, 1.° quamlibet gallam semper ab eadem specie exoriri;

2.° Cynipedem eumdem domunculas colere multifariè diversas, ratione loci habitâ; 3.° unamquamque Cynipedum speciem, in loco eodem, propriam sibi ædificare gallam.

Qua de causâ *Cynipedem Quercus folii Lin.* reperi, 1.° in gallis foliorum Quercus, avellanæ magnitudinis; 2.° in gallis Quercus ramulorum, pedunculatis, fungosis, monothalamis, coronatis, mespiliformibus.—*Cynips Quercus surculi, Schr.*; 3.° in gallis Quercus fructus, monothalmis, lanatis, hispidis ad instar *Bedeguaris*. Nomen linneanum ideò speciminibus omnibus non convenit, nam nonnulli ramulos habitant, nonnulli folia, nonnulli fructum.

Cynips Quercus baccarum habitat quoque in gallâ ligneâ, durissimâ, rotundatâ, monothalmâ Quercus ramulorum.

Galla *Cynipedis Quercus tojæ* apud nos frequenter ocurrit, fungosa, rotundata, monothalma, absque coronâ, pedunculo plus minusve elongato Quercus ramulis adhærens;

Generatim gallæ ejusdem Cynipedis quæ uno

in loco monotholamæ sunt vel polythalamæ, ubicumque pariter reperiuntur, sed formâ et substantiâ quoad locum variant. Nomenclatura linneana pateat ergo manifestò vitiosa et historia cujuscumque gallarum conditoris adhuc tenebris obumbrata entomophilorum alliciat animadversionem.

VI. G. DIPLOLEPIS.

7. Diplolepis purpurascens, *Fab. syst. piez.* 151. 14.

Ichneumon purpurascens, *Coq. illust. — Icon.* 1. *tab.* 5. *fig.* 6. (*Fœm.*)

Apud nos, mediâ œstate, in floribus pratorum præsertìm in umbellatis, haud infrequens.

Habitat gallas, sæpius Rosarum bedeguar.

Mas dimidio minor, abdomine abbreviato rotundato.

8. Diplolepis obsoleta, *Fab. syst. piez.* 150. 10.

Habitat gallam tinctoriam.

9. Diplolepis puparum, *Fab. syst. piez.* 151. 15.

Habitat passim in totâ Liguriâ.

10. DIPLOLEPIS SPHEGUM, *Fab. syst. piez.* 152. 18.

Præcedentibus rarior. Variat pedibus albidis.

11. DIPLOLEPIS BREVICORNIS.

Cynips brevicornis, *Panz. enum. syst. pag.* 134. *tab.* 134. *n.* 4.

Cynips prima, *Schæff. icon. tab.* 134. *fig.* 4 *a.* 6.

Habitat passim.

Fœmina. Antennæ infractæ, sex-articulatæ, sub-clavatæ, articulo primo maximo. Caput semper pallidè testaceum; oculis, maculâ verticali mandibulisque nigris. Thorax supra niger; lineolâ anticâ loboque scutellari pallidis: pectore albido. Abdomen supra nigrum, segmentorum marginibus albidis, terebrâ abbreviatâ reconditâ. Pedes pallidi, tarsis nigro annulatis. Alæ hyalinæ immaculatæ.

Variat thorace pallido, vix maculis nigris in medio notato; segmentorum fasciis marginalibus pallidis latioribus, et interdùm totum segmentum obtegentibus.

Mas, antennis pilosis ut in *Dip. verticillatâ*.

12. DIPLOLEPIS RUFESCENS.

Ichneumon rufescens, *Deg. ap. Retz.* 69. 281. *Ross. mant. app.* 2. 113. 94.

Propè Genuam capta.

Abludit a præcedente staturâ paulò majore, toto corpore nigro testaceoque variegato, abdomine magis conico, segmentis omnibus semper in medio nigris et utrinqne pallidis, alis superioribus maculâ fuscâ medio notatis.

Cynips attenuatus Latr. omnino diversus.

13. DIPLOLEPIS VESICULARIS, *Deg. ap. Retz.* 70. 291.

Fœmina aptera, saltatoria, in floribus umbellatis deprehensa. *Mas* invisus.

14. DIPLOLEPIS QUADRUM, *Fab. syst. piez.* 152. 16.

Habitat in Liguriâ rarior. Specimen unicum inveni in gallâ coronatâ, mespiliformi Quercus ramorum. Aliud misit mihi D. BONELLI.

15. DIPLOLEPIS MINUTA,

Cleptes minuta, *Fab. syst. piez.* 156. 10.

Ichneumon minutus, *id. ent. syst.* 2. 189. 235. *Coq. ill. icon. dec.* 1. *tab.* 4. *fig.* 7.

In montibus Orerii præcedentibus rarior.

Insectum hoc terebrâ absque tubulo armatur et certè ad Cleptides non pertinet.

16. Diplolepis larvarum.

Cleptes larvarum, *Fab. syst. piez.* 156. 8.

Ichneumon larvarum, *Lin. fn. svec.* 1637.

Cynips larvarum, *Latr. hist. des ins. t.* 13. *p.* 223. *n.* 5.

Habitat passim in Liguriâ.

Latreilleana descriptio cum diagnosi linneanâ omnibus in partibus non convenit. Specimina mea sequentibus characteribus distingui possunt. – Antennæ infractæ, supra nigræ, subtùs testaceæ, 10-articulatæ, articulo primo longiore, reliquis subæqualibus, villosiusculis in *Mare.* Corpus totum splendore metallico nitens, ut in plerisque cospeciebus. Caput viride. Thorax concolor. Abdomen fuscum, longitudine thoracis, 7-annulatum, segmentis 2.° et 3.° medio testaceis pellucidis, reliquis supra purpurascentibus. Pedes pallidi; femoribus basi supra nigris, posticorum maculâ majore; tarsorum

apice

apice nigro. Alæ hyalinæ, superiorum limbo costali testaceo puncto nigro.

Diplolepes plurimæ meo judicio ineditæ, in meo gazophilacio exstant, quarum descriptionem aggrediar in fasciculo quarto hujusce operis.

VII. G. CHALCIS.

3. Chalcis minuta, *Fab. syst. piez.* 165. 23.
In totâ Liguriâ obvia occurrit.

4. Chalcis flavipes, *Fab. syst. piez.* 167. 32.
Apud nos præcedente rarior.

Species distincta mihi videtur et præcedente differt pedibus flavis non solum, sed etiam segmentorum marginibus cinereo ciliatis, ano interdùm rufescente, et staturâ paulò majore.

5. Chalcis armata, *Panz. fasc.* 74. *tab.* 9.
Propè Genuam marem cum fæminâ inveni.

Confer cum *Chal. bispinosâ*, *Fab. syst. piez.* 166. 28.

6. Chalcis dargelasii, *Latr. hist. des ins. t.* 13. *p.* 221. *n.* 6.

Apud nos rara.

7. CHALCIS PUSILLA, *Fab. syst. piez.* 69. 127.

Habitat cum *Chal. minutâ*, fortè ejusdem mera varietas.

8. CHALCIS CORNIGERA, *Jur.*

Specimen unicum propè Genuam captum.

Antennæ nigræ, 11-articulatæ, in foveâ frontali propè os insertæ, approximatæ: articulis s b-æqualibus, longitudinaliter striatis (1), 2.° maximo. Caput nigrum, magnum, superficie totâ punctis plurimis excavatâ: fronte utrinque in tuberculum productâ, tuberculis bre ibus, divergentibus, marginatis, apice obtusis sub-angularibus: ocu'is lateralibus rotundis, prominulis: ocellis tribus in vertice: ore parvo sub tuberculis recondito: antennis inter tuberculos frontales insertis. Thorax niger, punctatissimus, punctis conspicuis; lobo antico quadrato: metathorace, lineis quatu r elevatis. Abdomen nigrum, petiolatum, abbreviatum: segmento primo seu petiolo brevi, sulcis quatuor exarato: 2.° maximo, campanuliformi, basi

(1) Antennas striatas hac in solâ specie hùc usque reperi.

striato, margine postico emarginato : reliquis sub segmento secundo omnino absconditis. Pedes quatuor antici simplices, in meo specimine pallidi, genubus tantùm nigrescentibus, femoribus clavatis : postici nigri, femoribus incrassatis, latere superiore denticulo brevissimo munito, inferiore edentulo, tibiis arcuatis. Alæ hyalinæ.

Insectum hoc probabiliter novum genus constituit. Confer cum *Ch. hesperidum*, *Rossi.*

VIII. G. FIGITES. (*Latr. Jur.*).

1. FIGITES SCUTELLARIS, *Latr. hist. des insect. t.* 13. *p.* 210.

Cynips scutellaris, *Rossi. mant. app.* 2. 106. 76.

Habitat in Liguriâ, haud infrequens.

2. FIGITES EDIOGASTER, *Jur.*

Ichneumon ediogaster *Rossi, mant. tab.* 6. *fig.* E.

Cynips ediogaster, *Panz. fn. germ. fasc.* 87. *ab.* 16.

Apud nos præcedente rarior.

3. FIGITES ABBREVIATOR, *Jur.*

Ophion abbreviator, *Panz. fasc. 72. tab.* 16.

Eucharis serratulæ, *id. krit. rev. pag.* 96.

Cyuips serratulæ, *Fab. syst. piez.* 147. 182.

Imago in excrementis humanis inventa, nympha in gallis.

Eucharis compressa, Fab. meo judicio distincta; confer cum *Chalcide adonidum Rossi.*

IX. G. PSILUS. (*Jur.*) G. Diapria? (*Latr.*)

1. Psilus conicus, *Jur.*

Ichneumon conicus, *Fab. ent. syst.* 2. 188. 229.

Diapria conica, *Latr. hist. des ins. t.* 13, *p.* 231, *n.* 2.

Habitat passim in Liguriâ.

2. Psilus elegans, *Jur. tab.* 13. *fig.* 6.

Apud nos haud infrequens.

Antennarum articuli, in speciminibus meis, basi rufescentes, apice nigri. Confer cùm *Diapriâ verticillatâ, Lat. id.* 113. 231. 3.

X. G. SPALANGIA (*Latr.*)

1. Spalangia nigra, *Latr. hist. des ins. t.* 18. *p.* 226.

Habitat passim in Liguriâ, frequens in excrementis humanis et in floribus umbellatis.

Genus hoc locum habeat quoqne in jurineanâ methodo.

G. Spalangia, cellulæ radiales cubitalesque nullæ : punctum propè apicem alæ.

G. Psilus, cellulæ nullæ : punctum propè alæ basim.

XI. G. PROCTOTRUPES. (*Latr.*)
G. Codrus (*Jur.*)

6. Proctotrupes campanulator, *mihi.*

Bassus campanulator, *Fab. syst. piez.* 99. 25.

Ichneumon campanulator, *id. ent. syst. supp.* 227. 177.

Proctotrupes brevipennis, *Latr. hist. des ins. t.* 13. *pag.* 232.

Habitat passim in Liguriâ, Confer cum *Banch. gravidatore*, *Fab. syst. piez.* 128. 10.

2. PROCTOTRUES NIGRA.

Codrus niger, *Jur. et Panz.*

Habitat in argo arquatensi.

XII. G. CERAPHRON (*Jur.*) G. SCELIO ? (*Latr.*)

1. CERAPHRON SULCATUS, *Jur. tab.* 14. *fig.* 9.

Scelio rugosulus, *Latr. hist. des insect. t.* 13. *p.* 227. *n.* 1 ?

Specimen unicum propè Novas deprehensum. Aliud teneo, antennis filiformibus, pedibus totis nigris, staturâ paulò minore, sed in cæteris vix distinctum. Nonne sexus alter?

XIII. G. BETHYLUS, (*Latr.*) G. CERAPHRON, *Panz.* G. OMALUS. (*Jur.*)

1. BETHYLUS FUSCICORNIS.

Omalus fuscicornis, *Jur. tab.* 13. *fig.* 1.

Apud nos rara.

2. Bethylus cenoptera, *Latr. hist. des ins. t.* 13. *p.* 229. *n.* 2.

Tiphia cenoptera, *Panz. fn. germ. fasc.* 81. *fig.* 14.

Ceraphron cenopterus, *id. Krit. rev. pag.* 135.

Habitat cum præcendente.

XIV. G. CHRYSIS. (*Latr.*)

14. Chrysis stoudera, *Jur. tab.* 12. *fig.* 9.

Propè Novas inventa, rara.

Long. 4. 1/2 lin. Lat. 1. 1/4 lin.

Antennæ nigræ. Caput, collo vertice mandibulisque nigris, fronte clypeoque viridi micantibus. Thorax viridi-cæruleus, maculâ mediâ quadratâ cæruleâ, scutello mutico viridi-aureo. Abdomen, segmento primo saturatè purpureo-cærulescente; secundo concolore, medio carinato, utrinque et posticè aureo; tertio aureo, quadrispinoso, spinulis sub-æqualibus. Pedes

viridi-cærulei, tarsis nigris latere interno pallidis. Alæ fuscescentes, cellulâ radiali obscuriore.

15. Chrysis dimidiata, *Fab. syst. piez.* 174. 22.

Habitat passim in Liguriâ.

Mas facilè dignoscitur antennis subtùs flavis.

16. Chrysis austriaca, *Fab. syst. piez.* 173. 15.
Lepelletier ann. du museum. tom. 5. *pag.* 128. *n.* 26.

Apud nos rara.

XV. G. HEDYCHRUM. (*Latr.*)

1. Hedychrum nitidum, *Panz. krit. revis. pag.* 105.

Omalus nitidus, *id. fn. germ. fasc.* 97. *fig.* 17. (*Fœm.*)

Habitat passim in Liguriâ.

Fœmina sequentis, ut opinatur D. Panzer.

2. Hedychrum æneum.

Omalus æneus, *Panz. germ. fasc.* 85. *tab.* 13.

Habitat cum præcedente.

Meo

Meo judicio, ambo meræ varietates *Hedychri auráti.*

XVI. G. CEROPALES. (*Fab. Latr.*)

5. Ceropales maculata, *Fab. syst. piez.* 185. 1.
Habitât passim in totâ Liguriâ.

6. Ceropales fasciata *Fab. syst. piez.* 186. 4.
A præcedente an satis distincta?

Ceropales spinosa ad Nyssones pertinet et *Ceropales rufìcollis* fortè ad Mellinos amandanda propè *Mell. cruentum* propriam sedem habebit.

XVII. G. POMPILUS. (*Fab.*)

10. Pompilus 10-guttatus. *Jur. tab.* 8. *fig.* 6.
In totâ Liguriâ haud infrequens.

Mas, ut snpra exposui, *Salius femoratus mihi.*

11. Pompilus pulcher, *Fab. syst. piez.* 193. 29.
Coq. icon. dec. 2. *tab.* 12. *fig.* 8. (*Mas.*)

Habitat passim haud infrequens.

Fœmina differt abdominis fasciis marginalibus lucidis medio interruptis. Confer cum *Sph. cingulatâ Rossii* et cum meâ *Larrâ sex-maculatâ.*

12. POMPILUS HIRCANUS, *Fab. syst. piez.* 105. 40.

Habitat in montibus Orerii.

Cum *Pompilo exaltato* in eodem loco captus, fortè ejusdem mera varietas. Specimen habeo intermedium, abdomine basi fusco utrinque rufescente.

13. POMPILUS SANGUINOLENTUS, *Fab. syst. piez.* 192. 19.

Propè Novas captus, rarus.

In speciminibus meis ut in jurineanis thorax omnino rufus.

14. POMPILUS PLUMBEUS.

Pepsis plumbea, *Fab. syst. piez.* 215.40.

Apud nos haud infrequens.

Variat, 1.° segmentorum anteriorum marginibus obscurè rubescentibus.

2.° Alis quandoque omnino fuscis, quandoque omnino hyalinis.

Mas incertus, nonne *Ceropales punctum*?

XVIII. G. LARRA. (*Fab.*)

LARRA POMPILIFORMIS, *Panz. fn. germ. fasc.* 89. *tab.* 13.

Habitat propè Genuam rara.

Specimina mea a panzerianis differunt tarsis tibiarumque basi rufis, sed in reliquis perfectè conveniunt. *Fœmina*, segmento sexto ultimo acuminato, deorsùm incurvo. *Mas*, oculis rubris et magnis ut in *Astatis*. Alarum squamulæ in utroque sexu rufæ. Cellula cubitalis tertia lunata. Insectum hoc ad *Larras* vel ad *Tachytes* pertinet; *Astata abdominalis* (*Fœm.*) satis distincta alis fuscescentibus et cellulis cubitalibus ut in sexû altero dispositis.

XIX. G. BEMBEX. (*Fab.*)

2. BEMBEX OCULATA, *Jur. tab.* 10. *fig.* 2. *Panz. fn. germ. fasc.* 84. *fig.* 22.

Apud nos haud infrequens.

Fæmina cum *Bemb. rostratâ* facilè confundenda, variat fasciarum macularumque colore quandoque flavo, quandoque albido, fasciis abdominalibus diversimodè sinuatis, maculis oculatis segmenti 2.[i] interdùm nullis, interdùm contra ampliatis et coalitis. *Mas* paulò minor, pariter variabilis, a *Bemb. rostratâ M.* satis distinguitur tuberculis ventralibus, datis proportionibus, duplo majoribus.

3. BEMBEX GLAUCA, *Fab. syst. piez.* 224. 8.

Habitat propè Genuam, in sabuletis.

Hæc species tranquebariana apud nos frequenter occurrit.

XX. G. STIGMUS. (*Jur.*)

1. STIGMUS. ATER, *Jur. tab.* 9. *fig.* 1.

Stigmus pendulus, *Panz.*

Habitat in Liguriâ, haud infrequens.

XXI. G. GORYTES. (*Latr.*) G. ARPACTUS. (*Jur.*)

4. GORYTES RUFICORNIS, *Latr. hist. des ins. t.* 13. *p.* 309. *n.* 2.

Mallinus quinquecinctus. *Panz. fn. germ. fasc.* 72. *tab.* 14.

Propè Genuam captus, in loco dicto *Marassi.*

XXII. G. PEMPHREDON. (*Latr. et Fab.*) G. CEMONUS. (*Jur.*)

4. PEMPHREDON MINUTUS, *Fab. syst. piez.* 319. 9.

Sphex pallipes, *Panz. fn. germ. fasc.* 52. *tab.* 22.

Cemonus minutus, *Jur.*

Habitat in Liguriâ, haud infrequens.

5. PEMPHREDON UNICOLOR.

Apud nos rarior.

Hoc sub nomine trado Pemphredonem familiæ secundæ Cemonorum jurineanorum adnumerandum, cujus cellula secunda cubitalis nervum secundum recurrentem excipit, meram

varietatem meo judicio *Pemphredonis lugubris Fab.* et *ins. lig.* 1. 106. 1. nam specimina intermedia exstant in meo gazophylacio, quorum nervus secundus recurrens cum altero coalescit cellulas cubitales sejungente.

OBSERVATIO. *Pemphredon geniculatus* et *leucostoma* absque dubio Crabrones.

XXIII. G. CRABRO. (*Fab. Latr. et Jur.*)

Divisio prima, pedibus in utroque sexu æqualibus.

8. CRABRO ZONATUS. *Panz. fn. germ. fasc.* 46. *tab.* 7.

Apud nos rarior.

Species distincta. Figura panzeriana marem repræsentat ut ab antennis patet. Differt a *Crab. liturato* staturâ dimidio minore, tibiis posticis absque denticulis : a *Crabr. sex-cincto* antennis usque ad apicem serratis, articulis subæqualibus; exceptis primo et secundo. Variat antennarum denticulis obliteratis. *Fœmina* adhuc mihi invisa.

Observatio. In *Crab. sex-cincto*, antennarum articuli quinque intermedii incrassati et serrati. In *Crab. liturato*, (*Fœm.*) tibiæ quatuor posticæ spinulis plurimis margine externo minutæ.

9. Crabro quadrimaculatus, *Fab. syst. piez.* 308. 4.

Habitat in Liguriâ, rarus.

Fœmina invisa. *Mas.* — Antennæ 13-articulatæ, filiformes, nunquam serratæ. Corpus nigrum, immaculatum. Abdomen, segmentis 2.° et 3.° utrinque flavo maculatis. Pedes quatuor antici flavi, femoribus coxisque nigris : postici nigri, tibiarum basi flavâ, tarsis fuscescentibus. Tibiæ posticæ edentulæ. Alæ fuscæ, apice obscuriores.

10. Crabro philantoides, *Fab. syst. piez.* 309. 11. *Panz. fn. germ. fasc.* 83. *tab.* 11.

Habitat in Liguriâ, haud infrequens.

D. Panzer hanc speciem tradit ceu fæminam *Crab. clypeati. Fab.* An ritè? Varietas mihi videtur *Crab. sinuati, Fab.* Differt tantùm fasciâ flavâ segmenti anterioris latè interruptâ. *Crab. serripes*

Panz. fæmina altera fortè indistincta. *Crabro mediatus*, *Fab.* pariter hìc referendus.

11. CRABRO CEPHALOTES, *Fab. syst. piez.* 308. 5.
Panz. fn. germ. faso. 62. *tab.* 16?

Apud nos rarus.

Specimen teneo, (*Fœm.*) fabricianis exemplaribus omnino simile. Differt a Panzerianis, fasciis duabus anterioribus interruptis et saturatè ferrugineis, scutello immaculato. Verus *Crabro cephalotes Panz.* magis obvius, in totâ Liguriâ ocurrit. V. *Ins. lig. tom.* 1. *pag.* 104. *n.* 2.

12. CRABRO QUINQUE-NOTATUS. *Jur. tab.* 12. *fig.* 3.

Apud nos rarus.

Divisio 2.ª, Pedibus anticis dilatatis.

13. CRABRO CRIBRARIUS, *Fab. syst. piez.* 311. 16.
Habitat in Liguriâ, rarus.

XXIV.

XXIV. G. CERCERIS. (*Latr.*)

6. CERCERIS HORTORUM.

Philanthus hortorum, *Panz. fn. germ. fasc.* 67. *tab.* 9.

Habitat propè Novas, sæpæ capta in umbellatis. Absque dubio, species distincta.

XXV. G. ODYNERUS. (*Latr.*)

5. ODYNERUS NOTATUS.

Vespa notata, *Jur. tab.* 9. *fig.* 9. ?

Propè Genuam captus, rarus.

Fœmina. — Antennæ nigræ, subtùs flavæ, articulo primo toto flavo. Caput nigrum; clypeo, maculâ trigonâ inter antennas, lineolisque duabus ponè oculos flavis. Thorax niger : lobo antico, puncto calloso ante alas, puncto altero irregulari in pleuris, lineolis duabus dorsalibus, maculisque sex scutellaribus 2. 2. 2. (maculis intermediis interdùm in fasciam coalitis, posticis maximis), flavis. Abdomen nigrum, segmentorum marginibus flavis : fasciâ segmenti anterioris utrinque auctâ. Pedes flavi : coxis femorumque basi nigris : tarsis ferrugineis. Alæ nigræ.

Specimen jurineanum differt fasciâ flavâ anteriore latissimâ integrâ, secundâ utrinque auctâ. Nonne diversa specias?

Mas mihi invisus.

Species altera in meâ collectione servatur, Americæ septentrionalis indigena, præcedenti proxima at distincta.

Odynerus bis-strigatus—Magnitudo præcedentis. Antennæ desunt. Caput nigrum, mandibulis palpisque concoloribus; clypeo flavo, apice nigro punctato; maculâ flavâ inter antennas. Thorax niger: margine antico, puncto utrinque in pleuris, lineolis duabus obliquis quasi decussatis in dorso, puncto calloso ante alas, maculis quinque scutellaribus 2. 1. 2., flavis. Abdomen pariter nigrum; segmentis quatuor anterioribus flavo marginatis: segmenti anterioris fascia latâ, magnâ, medio emarginatâ, emarginaturâ quadrangulari. Alæ nigræ. Pedes nigri, femorum tibiarumque apicibus intùs obscurè flavis.

6. ODYNERIS PARIETUM, *Latr. hist. des ins. tom.* 13. *pag.* 347.

Vespa parietina, *Lin. fn. svec.* 1673. 1679.

Vespa secunda, *Schœff. icon. ins. tab.* 24. *fig.* 3.
Vespa crassicornis, *Panz. fn. germ. fasc.* 53 *fig.* 8.
Habitat in totâ Liguriâ, haud infrequens.

Specimina mea describenda existimo. *Fœmina.* Antennæ nigræ subclavatæ, articulo primo flavo. Caput nigrum; clypeo lineolis duabus obliquis nigris basi notato: maculâ inter antennas flavâ. Thorax niger: maculis duabus magnis in margine antico, puncto calloso ante alas, punctisque duobus scutellaribus flavis. Abdomen nigrum: segmentorum quinque anteriorum marginibus flavis, fasciis marginalibus sinuatis: segmento primo globoso coarctato. Pedes flavi, femoribus nigris. Alæ hyalinæ interdùm flavescentes, margine anteriore apiceque obcurioribus.

Variat, 1.° maculis marginis anterioris thoracis in fasciam connatis.

2.° Fasciâ marginali segmenti primi medio interruptâ. Confer cum *Vespâ bipunctatâ*, *Fab. syst. piez.* 168. 75.

3.° Fasciâ marginali segmenti secundi utrinque auctâ.

Mas paulò minor : antennæ subtùs testaceæ vix convolutæ, articulo ultimo uncinato. Caput, clypeo toto flavo. Abdomen, segmento sexto margine flavo, fasciâ marginali sinuatâ.

OBSERVATIO. *Vespa antilope*, *Panz. fasc.* 53. *tab.* 9. mihi invisa, *Odynero parietum* præter dubium affinis, mihi verùm videtur satis distincta, 1.° abdominis segmento primo minus coarctato, ni fâllor tabulâ panzerianâ deceptus ; 2.° fasciis marginalibus, exceptâ anteriore, simplicibus; 3.° segmento quinto toto nigro. Confer cum *Vespâ sinuatâ. Fab. syst. piez.* 264. 61. et cum sequente *Odyn. trifasciato n.*° 8. *Fœm.*

Vespam parietum Lin. sub fide D^r^. Latreille hanc ad speciem retuli, sed ambigua descriptio sequenti convenire potest et hac in sententiâ ineunt plerique germani, nam tacet celeberrimus entomologus et de segmento primo valdè coarctato et de fasciis marginalibus semper sinuatis.

7. ODYNERUS GEOFFROYANUS.

La guepe, &c. *Geoff. hist. des ins. t.* 2 *p.* 376 *n.* 9.

Vespa parietum. *Panz. fn. germ. fasc.* 29.

tab. 23. *Fab. ent. syst.* 2. 265. 45. *id. syst. piez.* 265. 44. *Fourcroi, ent. paris.* 2. 435. 9.

Vespa prima, *Schæff. icon. tab.* 24. *fig.* 1. 2.

Apud nos obvia ocurrit.

Optimæ geoffroyanæ descriptioni nihil addendum. *Mas* minor, antennis sensìm convolutis, articulis 9.° 10.° 11.° et 12.° brevibus et compressis, ultimo uncinato, punctis flavis scutellaribus in fasciam coalitis, segmento sexto abdominis interdùm margine flavo. Confer cum *Vespâ simplice, Fab. syst. piez.* 263. 51.

Vespa tinniens, Scop. ent. carn. 311. 829. probabiliter hùc referenda. Ejusdem *Vespa parietum, ibid.* 309. 827. meo judicio *Polistes galllica.* Figuræ schœfferianæ supra citatæ præter dubium huic speciei conveniunt quod satis scatet punctis flavis scutellaribus, nam scutellum immaculatum mihi est præcipuus et constantior character *Vesp. parietinœ* et *murariœ* quibus D. Panzer hasce icones amandavit. Vera *Vespa muraria* apud nos rarissima ocurrit, sed collatis linneanis et fabriciianis descriptionibus,

fæmina mihi est *Vespæ parietinæ*, et a *Vespâ quinquefasciatâ. Fab. syst. piez.* 262. 48. omnino indistincta. *Vespa emarginata*, *id.* 262. 50. forsan maris varietas.

8. ODYNERUS TRIFASCIATUS.

Vespa trifasciata, *Fab. ent. syst.* 2. 270. 61.

Habitat in totâ Liguriâ, infrequens.

Fœmina. Clypeum basi flavum bimaculatum, punctis flavis sæpius in fasciam coalitis. Abdominis segmentum quartum margine flavum. Pedes flavi, femoribus nigris. *Vespa 4.fasciata*, *Fab. syst. piez.* 262. 47.

Mas. Clypeum totum flavum. Antennæ neutiquam convolutæ, articulo ultimo uncinato reflexo. Scutellum, punctis flavis secretis, parvis et sæpius obsoletis. Abdominis segmentum quartum nigrum.

9. ODYNERUS BIFASCIATUS.

Vespa bifasciata, *Lin. fn. svec.* 1682. *Fab. ent. syst.* 2. 269. 60. *id. syst. piez.* 264. 59.

Apud nos rarior.

Præcedenti affinis at distincta. *Marem* descripsit D. Fabricius. *Fœmina* differt antennis

totis nigris, clypeo concolore immaculato. Variat *Mas* punctis duobus flavis in margine antico thoracis. Variat *Fœmina* pedibus saturatè luteis.

Ambigit *Vespa gazella*, *Panz. fn. germ. fasc.* 56. *tab.* 10. inter hanc speciem et præcedentem. *Pterocheilus klugii* fortè hùc referendus sed mihi invisus.

ADNOTATIONES I.° ODYNERUS AUCTUS, *Ins. ligust.* 1. *p.* 88. *n.* 1. Figura panzeriana marem repræsentat. Antennæ convolutæ, articulis tribus apicalibus compressis, ultimo pariter depresso et nullatenus uncinato. Variat scutello bimaculato, quadrimaculato, sex maculato, et fasciâ segmenti anterioris semper utrinque auctâ sed plus minusve latâ atque emarginatâ. *Fœmina* paulò major, simillima. Antennæ subclavatæ, articulis extremis nec depressis nec convolutis. Clypeum nigrum, lineolis duabus flavis basi notatum. Cætera cum altero sexû omnino conveniunt. *Vespa quadrata. Panz. fasc.* 63. *tab.* 3. certè hùc referenda, nam a *Vespâ emarginatâ. Fab.* scutello flavo maculato satis distinguitur.

2.° ODYNERUS DANTICI, *Ins. ligust. t.* 1. *p.* 88. *n.* 2. Hæc species, ut dixi, satis distinguitur fasciâ marginali segmenti secundi utrinque reflexâ. *Fœminam* repræsentavit D. Rossi. *Mas* hùc usque latet indescriptus. Antennæ filiformes, apice convolutæ, nigræ, articulo primo flavo, 11.° et 12.° depressis, ultimo uncinato. Caput nigrum; clypeo toto maculâque frontali inter antennas flavis. Thorax, abdomen, alæ ut in altero sexû. Pedes toti flavi, femoribus rarius basi nigris.

3.° ODYNERUS SPINIPES, *Ins. lig. t.* 1. *p.* 89. *n.* 3. mas absque dubio *Vespæ sexfasciatæ*. Specimina ferè omnia meæ collectionis scutellum habent immaculatum, unum tamen exstat distinctum punctis duobus scutellaribus parvis discretis et vix conspicuis. Quæ olim credidi fæminæ varietates et quorum est labium flavum scutellumque flavo lineatum, nunc mihi videntur mares *Odyneri geoffroyani*.

4.° ODYNERUS BIGLUMIS, *Ins. lig. t.* 1. *pag.* 89.

n.

n. 4. certè ad hoc genus pertinet, sed *Vespa biglumis Panz. fasc.* 53. *fig.* 7. inter Polistes naturalem habet sedem. Linneana descriptio inter unam et alteram speciem ambigit, et forsan magis Polisti couvenit; idem notandum de moribus, nam species nostras in terrâ nidum struit, villas et hortos colit, nec rupes quærit, nec nidum conficit e fistulis ad latera lapidum ut *Vesp. biglumis* apud Rolandrum. Species denique fabriciana inclytissimo viro cum Vespis derelicta nostræ proprior videretur ni citatis Linneo et D.° Panzer dubia permulta exoriri possint, hanc ob causam, describere specimina sub oculis posita inutile non reputo.

Fœmina. Antennæ nigræ, subtùs flavæ. Caput nigrum subtilissimè punctum. Mandibulæ flavæ, margine interno obscuro. Clypeum flavum, maculâ apicis triangulari nigrâ. Macula inter antennas lineolaque utrinque ponè oculos flavæ. Thoracis segmentum anticum margine flavum. Segmentum intermedium immaculatum, pleuris flavo punctatis. Alarum squamula flava, puncto

nigro in medio notata. Scutellum sex-maculatum, maculis flavis modo sequente dispositis, 2. 2. 2., anterioribus minimis approximatis, intermediis sæpius coalitis, posterioribus maximis secretis. Abdomen, segmento primo margine flavo, fasciâ utrinque auctâ et reflexâ: secundo maximo campanæformi, maculis duabus margineque postico flavis: 3.° , 4.° et 5.° flavo marginatis. Pedes flavi, femoribus basi nigris. Alæ obscuræ.

Mas differt staturâ minore, labio toto flavo, abdominis segmento sexto flavo marginato. Variat maculis scutellaribus tantùm 2. vel 4.

In utroque sexû desunt spinæ scutellares quas Linneus huic speciei tribuit. Immò, omnibus in Vespariis hùc usque observatis scutellum vidi constanter muticum. *Vespa bidens*, *Lin* mihi invisa, sed ut valdè suspicor, ad Nyssones fortè spectat (1).

---

(1) Ad Synagrides pertinet species nova exotica quam misit mihi D. LATREILLE.

Synagris sericea, sericeo-nigra, capite thoraceque ferrugineo variegatis.

XXVI. G. EUMENES.

3. Eumenes pomiformis, *Fab. syst. piez.* 287. 9. *id. ent. syst.* 2. 279. 90.

Vespa pomiformis, *Panz. fn. germ. fasc.* 63. *tab.* 7. (*Fœm.*)

Vespa coarctata, *Panz. fn. germ. fasc.* 63. *tab.* 6. (*Mas.*)

Habitat apud nos, haud infrequens.

Alæ hac in specie basi flavæ apice fuscescente, obscuræ et unicolores in verâ *Eumene coarctatâ Fab*, quo charactere, hæ duo species satis distinguuntur.

Habitat in Africâ.

Long. 13. lin Lat. 3. 1/2.

Fœmina. Antennæ ferrugineæ. Caput ferrugineum, vertice sericeo nigro, clypeo gibboso acuto, mandibulis absque cornubus capite longioribus. Thorax ferrugineus, glaber, lobo intermedio nigro sericeo, pectore lævi nigro. Abdomen totum nigrum, tomento nitido obtectum ad instar serici panni. Alæ nigerrimæ. Pedes toti ferruginei.

Mas nondùm detectus.

N. B. *Vesp. brunnea* et *tripunctata*, *Fab.* probabiliter Rygchia.

Variat *Fœmina* maculis petioli nullis. *Vespa arbustorum Panz. fn. germ. fasc.* 63. *tab.* 5.— *Vespa dumetorum. id. fasc.* 63. *tab.* 4. species, præcedenti affinis at distincta, nondùm in Liguriâ inventa.

4. EUMENES ZONALIS.

Vespa zonalis, *Panz. fn. germ. fasc.* 81. *tab.* 18.

Apud nos rarissima. *Marem*, specimen unicum, propè Genuam cepi, in loco dicto *lo Scoglietto.*

N. B. *Vespa coronata, Panz. fasc.* 64. *tab.* 12. et *Vespa pedunculata id. fasc.* 63. *tab.* 8. meræ varietates ejusdem speciei, scilicet mares *Eum. coarctatœ, Fab.*

XXVII. G. ANDRENA.

Divisio prima.

15. ANDRENA VULPINA, *Fab. syst. piez.* 326. 19. *Panz. fn. germ. fasc.* 97. *tab.* 18.

Propè Genuam frequenter ocurrit.

16. Andrena vestita, *Fab. syst. piez.* 323. 4. *Latr. hist. des ins. tom.* 13. *pag.* 362. *n.* 2.

Apis vestita, *Panz. fn. germ. fasc.* 55. *tab.* 9. *Coq. ill. icon. dec.* 1. *tab.* 6. *fig.* 7. } *Fœmina.*

Apis vigesima-tertia, *Schæff. icon.* 1. *tab.* 34. *fig.* 11.

In totâ Liguriâ, haud infrequens. Variat tomento dorsali dilutiore quasi cinerascente.

N. B. Figura panzeriana, *fasc.* 7. *tab.* 13. ad hanc speciem D.° Fabricio relata *Megillam* seu *Anthophoram pilipedem* repræsentat.

17. Andrena pilipes, *Fab. syst. piez.* 322. 2. *id. ent. syst.* 2. 312. 21.

Habitat passim in Liguriâ.

Species quam hoc sub nomine trado planè hujus generis et etiam ejusdem familiæ, antennis ut in præcedentibus et ultimo segmento abdominis nullomodo fisso manifestò differt ab *And. rufipede.* Caput et thorax nigra, puebscentia,

Pubes sæpius rufescens, colore variat, plus minusve densa, semper decidua, capitis verticem thoracisque dorsum aliquando denudat. Abdomen, segmentis margine rufis; fasciis marginalibus e pilis decumbentibus, in plerisque speciminibus, medio interruptis: segmento sexto, in *Fœminâ*, toto albido hirto. Pedes postici hirti rufescentes. Alæ obscuræ. Confer cum *Andrenâ vulpinâ*. An satis distinctâ?

18. ANDRENA LUCIDA, *Panz. fn. germ. fasc.* 56. *tab.* 1.

Habitat passim in Liguriâ.

19. ANDRENA ROSÆ, *Panz. fn. germ. fasc.* 74. *tab.* 10.

Habitat rara in montibus Antolæ.

Species peculiaris, *Andrenâ Hattorfianâ* dimidio minor. D. Panzer fæminam edidit, marem nunc describam. Antennæ nigræ, filiformes. Caput nigrum: fronte albidâ pubescente: clypeo labroque albis. Thorax niger, albido pubescens. Abdomen, segmento primo nigro margine rufo: secundo rufo, puncto medio nigro:

reliquis nigris albido ciliatis ; ultimo toto ciliis albidis obtecto. Pedes nigri albido hirti. Alæ fuscæ, apice obscuriores.

Andrena hattorfiana ferè duplò major, alis basi flavescentibus.

Divisio secunda.

19. Andrena leucozonia.

Apis leucozonia *Schr. enum.* 406. 319.

Habitat propè Genuam.

Antennæ hujus divisionis. Segmentum anale rimosum in *Fœminâ*. *Mas* mihi invisus.

20. Andrena parvula, *Jur.*

Apis parvula, *Fab. ent. syst. supp.* 277. 123.

Megilla parvula. *id. syst. piez.* 334. 32.

Halictus, *Latr.*

Species parva sed formosa, apud nos haud infrequens.

21. Andrena pulchella, *Jur. ta*, 11. *fig.* 8.

Habitat cum præcedente, ejusdem forsan varietas rarior.

22. Andrena seladonia.

Apis seladonia, *Fab. ent. syst.* 276. 120.

Megilla seladonia, *Fab. syst. piez.* 334. 28. *Ins. lig.* 123. 13.

Habitat passim in Liguriâ.

Andrenæ subauratæ affinis sed distincta alis hyalinis nunquam flavescentibus, segmentis abdominalibus intermediis albido ciliatis, pedibusque totis viridi-æneis *Mas*, clypeo viridiæneo.

Halictus seladonius Latr. profectò distinctus, mihi est *Andrena subaurata* cui probabiliter adsociare debemus *Meg. subauratam Fab.* Notentur alæ flavescentes, segmenta margine rufo ciliato, pedesque tibiis cum tarsis pallidis. *Mas* clypeo albido.

XXVIII. G. ANTHOPHORA, (*Latr.*) G. MEGILLA. (*Fab.*) G. LASIUS, (*Jur. Panz.*) G. CENTRIS. (*Panz.*)

7. ANTHOPHORA LABIATA.

Megilla labiata, *Fab. syst. piez.* 333. 21.

Lasius

Lasius salviæ, *Panz. fn. germ. fasc.* 86. *tab.* 18.

Apud nos rara ocurrit.

Variat *Mas* pube frontali et thoracicâ quandoque rufescente, quandoque albido-cinereâ, tarsis testaceis pellucidis, uncinulo terminali atro. Specimina mea in montibus Antolæ inveni. *Fœmina* adhuc invisa.

8. ANTHOPHORA FURCATA.

Megilla furcata, *Panz. krit. revis.* 2. 226.

Apis furcata, *id. fn. germ. fasc.* 56. *tab.* 8.

Propè Genuam capta.

Anus mucrone bifido armatus in omnibus maribus ejusdem egeneris reperiri potest, nomen triviale ideò commutandum. *Anthophora furcata Fœmina* adhuc latet ignota.

XXIX. G. BOMBUS. (*Lar. Fab.*) G. BREMUS. (*Jur.*)

8. BOMBUS HYPNORUM, *Fab. syst. piez.* 349. 33.

Apis hypnorum, *Lin. fn. svec.* 1715. *Scop. ent.*

carn. 307. 820. *Panz. fn. germ. fasc.* 7. *fig.* 7. *Schæff. icon. tab.* 251. *fig.* 1. 2.

Apis meridiana, *Panz. fn. germ. fasc.* 80. *fig.* 19. (*Fœm.*)

Apis lucorum, *Christ Hymen. tab.* 7. *fig.* 5. (*Apis lucorum Lin.* omnino diversa.)

Habitat in montibus Liguriæ, rarus.

9. BOMBUS SUBTERRANEUS, *Fab. syst. piez.* 350. 39.

Propè Novas inventus, rarus.

10. BOMBUS FRUTETORUM.

Apis frutetorum, *Panz. fasc.* 75. *n.* 9.

Bombus sylvarum, *Latr. hist. des ins. t.* 13. *p.* 65. *n.* 8.

Habitat passim in Liguriâ.

Vera *Apis sylvarum Lin.* meo judicio diversa, confer cum *Bomb. sub-interrupto Fab.*

XXX. G. PANURGUS, (*Panz.*)

1. PANURGUS ATER, *Panz. krit. revis. pag.* 211.

Trachusa atra, *id. fn. germ. fasc. tab.* 19. 96.

Frequens in agro arquatensi.

Partium oris descriptioni panzerianæ adde; *Palpi maxillares breves 6-articulati, articulis cylindricis subæqualibus, vix distinctis; lingua aristâ brevissimâ terminata.*

XXXI. G. EVODIA. (*Panz.*)

1. EVODIA CALENDARUM, *Panz. krit. revis. pag.* 208.

Apis calendarum, *id. fn. germ. fasc.* 83. *fig.* 19.

Megilla calendarum, *Fab. syst. piez.* 335. 33.

Habitat in montibus Orerii, rara.

Hoc genus introduxi, D^{r}. Panzer gravissimâ auctoritate ductus, nam instrumenta cibaria nondùm scrutare potui. Meæ collectioni ut parcerem, *Fœminam* unicam in umbellatis captam meliore statû custodire constitui.

XXXII. G. HERIADES, (*Mihi*) G. ANTHIDUM. (*Panz.*) G. MEGACHILE. (*Latr.*) G. ANTHOPHORA. (*Fab.*) G. TRACHUSA. (*Jur.*)

Divisio prima.

1. HERIADES CAMPANULARUM, *mihi.*

Megachile campanularum, *Latr. hist. des ins. t.* 14. *p.* 58. *n.* 5.

Propè Genuam, haud infrequens. Antea cum *Her. truncorum* confusa, nunc diversa mihi videtur. Lege utriusque sexus latreilleanam descriptionem.

Divisio secunda.

2. HERIADES CINCTA, *mihi.*

Trachusa cincta, *Jur. tab.* 12. *fig.* 3.

Propè Genuam capta, in loco dicto *lo Scoglietto.*

Fœmina D.° Jurine depicta, sed usque adhuc non descripta. Antennæ infractæ, totæ nigræ. Mandibulæ bidentatæ. Caput et thorax itidem nigra, fronte thoracisque dorso pube albidâ hirtis,

Abdomen 6-annulatum : segmento anteriore rufo pellucido; secundo concolore, puncto medio nigro : reliquis nigris albido ciliatis, pilis marginalibus decumbentibus : sexto anali apice rectè truncato. Venter nudus lævigatus. Alæ hyalinæ, costâ puncto nervisque nigris. Pedes nigri, glabri.

Mas vix distinctus. Antennæ filiformes. Mandibulæ minus validæ, breviores, unidentatæ. Punctum nigrum segmenti secundi abdominalis obsoletum. Segmentum tertium basi rufum : septimum anale triemarginatum, ut in *Chryside dimidiatâ*.

3. HERIADES PUNCTATISSIMA, *mihi.*

Megachile punctatissima, *Latr. hist. des ins. t.* 14. *p.* 51. *n.* 5.

Mas propè Genuam deprehensus.

Spinulæ scutellares remotissimæ, breves, intùs parum arcuatæ, propè basim alarum inferiorum insertæ, ipsis sæpius obtectæ, quasi sub-axillares dici prossunt.

XXXIII. G. OSMIA (*Panz.*) G. MEGACHILE. (*Latr.*) G. ANTHOPHORA. (*Fab.*) G. TRACHUSA. (*Jur.*)

1. OSMIA LEAIANA.

Apis leaiana, Kirby?

In totâ Liguriâ frequentissima occurrit.

Fœmina nigra, pilis rufescentibus plus minusve pubescens, Mandibulæ quadridentatæ. Abdomen supra nudiusculum, cæruleo splendens; ventre lanâ rufâ induto. Pedes pilis rufescentibus hirti. Alæ paulò fuscescentes, apicè obscuriores.

Hæc species cum *Osmiâ fronticorni* certè non confundenda, nostræ Osmiarum familiæ secundæ adnumeretur. *Mas* mihi incertus.

2. OSMIA FRONTICORNIS, *Panz. krit. revis.* 232.

Apis fronticornis, *id. fn. germ. fasc.* 63. *tab.* 20.

Anthophora fronticornis, *Fab. syst. piez.* 376. 17.

Propè Genuam capta, rara.

Species satis distincta differt ab *Osmia bi-*

corni, corpore nunquam rufo pubescente, ferè glabro pilis cinereo-albidis raró dissitis, abdomine supra nudo nitidissimo violaceo micante et lanæ ventralis colore rufo saturatiore.

N. B. *Apis varians Rossii* eadem ac *Osmia muraria* omnino diversa.

3. OSMIA BYSSINA.

Apis byssina, *Panz. fn. germ. fasc.* 56. *fig.* 21.

Anthophora byssina, *id. krit. revis.* 245. *Fab. syst. piez.* 378. 28.

Habitat in montibus Orerii.

Instrumenta cibaria pluries et accuratè observavi, et palpi maxillares quadriarticulati semper mihi visi sunt.

4. OSMIA PAPAVERIS.

Megachile papaveris, *Latr. hist. des ins. t.* 14. *p.* 57. *n.* 12.

Apis papaveris, *Coq. ill. icon. dec.* 3. *tab.* 21. *fig.* 10.

Habitat rara propè Genuam.

ADNOTATIO. *Osmias mares* teneo nonnullas quas ceu distinctas et novas species evulgare

aut ad *Fœminas* cognitas referre non ausi. Accedat earum descriptio.

1. *Osmia mas* magnitudine *Osmiæ papaveris*, tota nigro-ænea. Caput et thorax albido pubescentia, pube rarissimâ. Abdomen 7-annulatum, æneo nitens; segmentorum margine postico utrinque ciliato: *sexto tri-emarginato*: ultimo bidentato. Alæ hyalinæ. Antennæ et pedes nigra. Confer cum *Osmiâ Latreillii*, vix distincta. — Nonne *Osmia leaiana, mas?*

2. *Osmia mas* altera paulò minor, tota ænea, capite thoraceque cinereo hirtis, pube densiore quam in præcedente. Abdomen viridi-æneum, segmentorum marginibus albido ciliatis; annulo sexto irregulariter fimbriato: ultimo bidentato. — Nonne *Osmia byssina, mas?*

3. *Osmia mas* præcedentibus dimidio minor, tota nigra, abdominis segmento sexto leviter sinuato et medio emarginato, ultimo bidentato. Alæ obscuræ.

XXXIV.

XXXIV. G. MEGACHILE.

Divisio prima.

18. MEGACHILE STRIGATA, *mihi.*

Trachusa strigata, *Panz. fn. germ. fasc.* 86. *fig.* 17.

Anthidium strigatum, *id. krit. revis.* 250.

Habitat propè Genuam.

Mandibulæ in utroque sexû edentulæ, apice dilatatæ, truncatæ. *Mas*, abdomine nigro maculis transversis flavis lateralibus, segmento septimo anali bi-emarginato, dentibus tribus remotissimis, acutiusculis, brevibus vix conspicuis.

XXXV. G. EUCERA. (*Fab. Latr.*)

5. EUCERA STRIGOSA, *Panz. krit. revis. pag.* 267.

Andrena strigosa, *id. fn. germ. fasc.* 64. *tab.* 16. (*Fœm.*)

Propè Genuam inventa.

Planè Eucera, ab *Ape tuberculatâ* profectò distincta. *Mas* incertus.

ADNOTATIONES. 1.° *Melecta histrio* præter dubium fæmina *Mel. scutellaris. Mel. fasciculata* mihi mas *Mel. punctatæ.*

2.° Jentaculum meum sumendo, reperi in saccharo Apem americanam, meo judicio, ineditam.

Apis flavo-fasciata.—Long. 3. lin. Lat. 1. 1/3 lin. Antennæ desunt. Caput nigrum; clypeo ferrugineo, margine flavo: fronte, lineolâ utrinque flavâ propè oculos. Thorax niger, scutello ferrugineo. Abdomen breve, conicum, longitudine thoracis, nigrum, glabrum, segmentorum marginibus flavis neutiquam ciliatis. Alæ flavescentes, cellulis radialibus et cubitalibus ut in *Trigonis* jurineanis. Pedes rufi: antici simplices: intermedii desunt; postici ut in secundâ Apum divisione latreilleanâ, tibiis apice nigris.

3.° *Sphex profuga Scop. carn.* 293. species certè distincta et a *Sph. sabulosâ* longinquo

remota. Differt præsertìm pedibus alarumque squamulâ rufis. Confer cum *Sph. holosericeâ Fab.* Anus cyaneus character admodùm variabilis, in perpaucis speciminibus perspicitur.

4.° Anthophorarum fæminæ plerumque a maribus distant fronte clypeoque nigris immaculatis. *Fœmina* verùm *Anth. quadrifasciatœ* a reliquis congeneribus abludit clypeo toto albo ut in *Mare*, lineolâque frontali simplici pariter albâ. Differt a sexû altero antennis 12-articulatis non solum et abdomine sex-annulato, sed etiam antenarum articulo primo toto flavo lineolâque frontali simplici et nunquam sagittatâ.

5.° *Pepsis lutaria Fab.* species adhuc obscura, apud D. Latreille mera varietas habetur *Pep arenariæ*. Tabula Di. Panzer *Sph. sabulosam* exhibet, et nodum certè non extricat. Specimina (*Ins. lig.* 1. 71. 2.) quorum est abdomen longè petiolatum, petiolo nigro, segmentis 2.° et 3.° rufis, reliquis nigris albido ciliatis, fortè speciem novam constituunt, et hæc est sententia Di. Bonelli. Vera *Pepsis lu-*

taria dimidio minor *Peps. arenariâ*, satis ab ipsâ distinguitur alis profectò hyalinis, et a *Peps. flavipenni* fronte argenteo villosâ.

Habitat passim in totâ Liguriâ.

Finis Fasciculi tertii.

INSECTORUM LIGURIÆ

SPECIES NOVÆ AUT RARIORES.

FASCICULUS 4.us

DIPLOLEPUM LIGURIÆ TABULA SYNOPTICA.

	Antennae	Abdomen	Divisio	Exempla
DIPLOLEPES.	Antennæ 11 vel 12 articulis.	Abdomen subsessile, segmento 1.° maximo reliqua obtegente.	Div. 1.ª	Ex. . *Dip. italica*, *Fab.* *violacea*, *Fab.*
		Abdomen subsessile, segmentis subæqualibus distinctis, conspicuis. Fæminæ terebra ab ultimo segmento prodiens.	Div. II. Abdomen latetaliter compressum, terebrâ corporis longitudine. Sub-div. A.	Ex. . . . *bebeguaris*, *Fab.* . . . . *cuprea*, *mihi.* *le Chalcis de la Pomme d'Api*, *Jur.*
			Abdomen ut in subdivisione A, terebrâ abdomine breviore. Sub-div. B.	Ex. . *Dip. adonidum.*
			Abdomen supra complanatum, terebrâ exsertâ. Sub-div. C.	Ex. . *Dip. purpurascens*, *Fab.* . . . . *dorsalis*, *Fab.* . . . . *puparum*, *Fab.* . . . . *obsoleta*, *Fab.* . . . . *cynipedis*, *Fab.* . . . . *fuliginosa*, *mihi.* . . . . *annulata*, *mihi.*
			Abdomen supra complanatum, thorace longius, terebrâ reconditâ. Sub-div. D.	Ex. . *Dip. quadrum*, *Fab.* . . . . . . *varians*, *mihi.* . . . . . . *pallipes*, *mihi.*
			Abdomen supra complanatum, thorace brevius, in utroque sexû rotundatum et dilatatum. Sub-div. E.	Ex. . *Dip. minuta*, *Fab.* . . . . . . *flavicornis*, *mihi.*
		Abdomen subsessile segmentis distinctis. Terebra a basi ventris prodiens et ab abdomine disjuncta deorsùm et obliquè producitur.	Div. III.	Ex. . *Dip. depressa*, *Fab.* . . . . . . *bicolorata*, *mihi.* *Ichneumon nigricornutus*, *Christ.*
		Abdomen petiolatum, segmento anteriore maximo reliqua obtegente.	Div. IV	Ex. . *Dip. splendidula*, *mihi.*
		Abdomen petiolatum, segmentis omnibus detectis conspicuis.	Div. V	Ex. . *Dip. pedunculiventris*, *mihi.* . . . . . *pallicornis*, *mihi.*
	Antennæ 6 vel 7 articulis.	Abdomen subsessile.	Div. VI	Ex. . *Dip. gallarum*, *Fab.* . . . . . *brevicornis*, *Panz.* . . . . . *rufescens*, *Deg.*
		Abdomen longè petiolatum, lateraliter compressum.	Div. VII.	Ex. . *Dip. verticillata*, *Fab.*
		Abdomen petiolatum, supra complanatum.	Div. VIII	Ex. *Dip. petiolata*, *mihi.* . . . . *lateralis*, *mihi.*

INSECTORUM LIGURIÆ SPECIES NOVÆ AUT RARIORES.

DE DIPLOLEPIBUS.

Inst. cib. — *Mandibulæ* tridentatæ, (rarius quadridentatæ,) dente extimo majore. *Palpi* quatuor inæquales; *maxillares* quadriarticulati, apice sæpius subulati; *labiales* triarticulati clavati. *Maxillæ*, processu terminali corneo, rotundato, obtegente. *Labium* simplex, breve, integrum, apice dilatatum, margine rotundatum. *Labrum* superius vix conspicuum, membranaceum, rotundatum. *Antennæ* infractæ, articuculorum numero et formâ variant.

Statura parva, crassa. Partium corporis proportiones admodùm variant. Color in plerisque metallicus. Alæ superiores, cellulis cubito ner-

visque brachialibus nullis ; radio conspicuo, apice inflexo ; puncto ultra medietatem alæ posito. Pedes validi, breves : trochanteribus crassis; femoribus simplicibus, quo charactere Diplolepes a Chalcidibus satis differunt : tarsis quinque-articulatis, articulo ultimo uncinulis duobus terminato. Abdomen 7-annulatum. *Fœmina* terebrâ rectâ armatur.

Antennis, partium corporis proportionibus, et terebræ insertione, genus hoc in divisiones permultas dispescere possumus, quæ totidem genera forsan constituere debent.

DIV. I. *Antennœ* 11-12-articulatæ. *Abdomen* subsessile, segmento primo maximo reliqua obtegente. — *Fœmina* terebrâ, abbreviatâ, reconditâ, sursùm paulò reflexâ at nunquam involutâ ut in Cynipedibus.

Ex. *Dipl. italica*, *violacea*, etc.

Antennæ capitis longitudine, clavatæ, clavâ crassissimâ. Abdominis segmentum primum sæpius quadratum, basi excavatum, margine postico emarginato. Abdomen totum thorace brevius. Scutellum gibbosum, posticè porrectum, obtusum, rarius subemarginatum.

DIV. II. *Antennæ* ut in præcedente. *Abdomen* pariter subsessile, segmentis subæqualibus, distinctis, conspicuis. *Fœminæ* terebra ab ultimo segmento prodiens, recta, linearis, plus minusve elongata.

A. Abdomen lateraliter compressum, terebrâ corporis longitudine.

Ex. *Dipl. bedeguaris Fab*, *Dipl. cuprea mihi* (V. *pag. seq.*), *Le Chalcis de la pomme d'api Jur.*

B. Terebra abdomine brevior.

Ex. *Dipl. adonidum.*

In hisce duabus subdivisionibus, antennæ capite multo longiores, infractæ, clavatæ, clavâ elongatâ attenuatâ.

LXIX. DIPLOLEPIS CUPREA.

Diplolepis splendidè cuprea, alis hyalinis.

Habitat propè Genuam. Specimen unicum cepi in loco dicto *Marassi*, et misi ad D.um Latreille.

Antennæ dimidiâ thoracis longitudine, articulo basilari cupreo, reliquis nigris. Caput rubrum, punctis plurimis elevatis. Corpus totum cupreum, splendore metallico nitens. Thorax scaberrimus, lobo scutellari rugoso neutiquam producto. Abdomen læve, nitidum, ad violaceum vergens, lateraliter compressum, in *Fœminâ* 6-annulatum : segmento primo supernè producto ad instar squamulæ, apice emarginato : reliquis simplicibus subæqualibus : ultimo obtuso. Pedes cuprei : postici, trochanteribus basilaribus incrassatis, femoribus tenuioribus arcuatis apice unidentatis : tarsis omnibus testaceis. Alæ hyalinæ.

Fœmina terebrâ munita rectâ, abdomine longiore. *Mas* mihi invisus.

C. Abdomen supra complanatum, terebrâ exsertâ.

Ex. *Dipl. purpurascens*, *puparum*, *dorsalis*, *obsoleta* et *cynipedis Fab*, *fuliginosa* et *annulata* *mihi* (V. *pag. seq.*)

LXX. DIPLOLEPIS FULIGINOSA.

DIPLOLEPIS cuprea, alis hyalinis maculâ medio fuliginosâ.

Habitat rara in montibus Orerii.

Long. 1. lin. Lat. 1 1/4 lin.

Antennæ nigræ, basi cupreo nitentes. Corpus totum cupreum, splendore metallico. Pedes obscuriores, tibiis tarsisque pallidè testaceis : femoribus simplicibus. Alæ hyalinæ : superiores fuliginosæ, maculâ magnâ fuscâ medio notatæ.

Fœmina, terebrâ longitudine corporis, oviductû piceo, valvulis nigris. Cadaver inveni in gallâ fungosâ polythalamâ Quercus ramulorum.

Mas invisus.

LXXI. DIPLOLEPIS ANNULATA.

DIPLOLEPIS cærulescens, pedibus albo nigroque annulatis.

Propè Genuam capta.

Long. 1. 1/2 lin. Lat. 1/3 lin.

Affinis *Dipl. puparum* at distincta. Antennæ nigræ, articulo primo subtùs cæruleo micante. Corpus totum cærulescens, splendore metallico. Pedes quatuor antici, femoribus nigris, tibiis tarsisque albidis : postici pallidi, femorum basi tibiarumque apice nigris. Alæ hyalinæ.

Fœminæ terebra corpore longior. *Mas* simillimus, abdomine breviore.

Dipl. puparum fœm. differt colore viridi, pedibusque totis omnino pallidis.

D. Abdomen supra complanatum, thorace longius, terebrâ reconditâ.

Ex. *Dipl. quadrum*, *Fab. varians* et *pallipes mihi* (V. *pag. seq.*).

LXXII. DIPLOLEPIS VARIANS.

DIPLOLEPIS viridi nitens, abdomine supra obscuriore, antennis pedibusque testaceis.

Vulgatissima in totâ Liguriâ.

Long. 2. lin. Lat. 1/2 lin.

Antennæ testaceæ. Caput viridi-æneum; mandibulis obscurè brunneis. Thorax itidem viridi-æneum. Abdomen concolor, sed segmenta posteriora ad purpureum vergunt; apice acuto. Pedes pallidè testacei. Alæ hyalinæ, stigmate nigro.

Fœmina terebrâ armatur abbreviatâ et absconditâ.

Mas distinctus 1.° antennis pilosis, pilis brevissimis decumbentibus, articulis extremis depressis; 2.° abdomine apice rotundato, breviore.

Hæc species admodùm mutabilis apud nos frequentissima occurrit, sed specimina quasi personata unus ab altero adeò differunt an-

tennarum corporis pedumque coloribus, ut species distinctæ singulæ visæ forent ni intermedia in meo gazophylicio servata, nodum naturale manifestò astrinxissent.

Variant antennæ quandoque totæ nigræ, quandoque nigræ articulo primo subtùs testaceo, quandoque subtùs omnino testaceæ.

Variant pedes femoribus nigris et rarius tibiis nigro annulatis.

Variat corpus totum colore viridi dilutiore, abdomineque concolore.

LXXIII. DIPLOLEPIS PALLIPES.

DIPLOLEPIS cyaneo-purpurea, antennis pedibusque pallidis,

Habitat in agro arquatensi rarior.

Long. 1. 1/2 lin. Lat. 1/4 lin.

A præcedente facilè distinguitur corpore lineari, staturâque minore. Antennæ pallidè testaceæ. Corpus totum cyaneo-purpureum. Pedes albidi unicolores, trochanteribus femorumque basi cyaneo purpureis. Alæ hyalinæ.

Fœminæ terebra recondita. *Mas* invisus.

E. Abdomen supra complanatum, thorace brevius, in utroque sexû rotundatum et dilatatum.

Ex. *Diplolepis minuta*, *Diplolepis flavicornis mihi* (V. *pag. seq.*).

LXXIV. DIPLOLEPIS FLAVICORNIS.

Diplolepis lætè viridis, abdomine breve depressso dilatato, antennis pedibusque flavis

Habitat in montibus Orerii.

Long. 1. 2|3 lin. Lat. 1|2 lin.

Antennæ hujusce divisionis, flavæ, articulo primo tertiam antennæ partem longitudine æquante. Corporis totius color lætè viride, nitore metallico splendens ut in plerisque ejusdem generis. Caput, mandibulis quadridentatis testaceis, margine interno nigro. Abdomen thorace brevius, rotundatum, valdè depressum, medio dilatatum, segmento anteriore maximo basi profundè emarginato, terebrâ vix conspicuâ. Pedes flavi, trochanteribus tantùm viridibus. Alæ hyalinæ, costâ stigmateque testaceis.

Variat magnitudine, specimen majus misit

D. BONELLI, aliud dimidio minus reperi in agro arquatensi.

DIV. III. *Antennæ* ut in præcedentibus. *Abdomen* elongatum, acutiusculum, segmentis distinctis. *Terebra* a basi ventris prodiens et ab abdomine disjuncta, deorsùm et obliquè producitur.

Ex. *Dipl. depressa*, *Ichneumon nigricornutus Christ*, *Diplolepis bicolorata mihi* (*V. pag. seq.*).

Antennæ reverâ quoad articularum numerum ùt in præcedentibus divisionibus, quoad formam verùm paululùm distant. Articulus primus, datis cæteris proportionibus, paulò minor. Reliqui distinctiores, cylindrici, in *Maribus* interdùm pilosi; terminales attenuati, clavam conspicuam raró constituunt. Thorax, lobo antico parvo angustato et elongato.

LXXV. DIPLOLEPIS BICOLORATA.

Diplolepis viridi-ænea, abdomine basi testaceo, apice nigro.

Habitat in totâ Liguriâ, haud infrequens. Sub foliis *Coryli avellanæ* imaginem quiescentem sæpe deprehendi.

Long. 2. 1/2 lin. Lat. 1/3 lin.

Antennæ hujusce divisionis; nigræ, articulo primo testaceo. Caput saturatè viridi-æneum, mandibulis nigris, palpis pallidis. Thorax pariter viridi-æneus, lobo antico angustiore, producto. Abdomen thorace cum capite longius, elongato-conicum : segmentis duobus anterioribus obscurè testaceis; reliquis nigris, ultimo producto acutissimo : ventre basi testaceo, apice nigro. Terebra abdominis longitudine, nigra, a segmento primo ventrali prodit; deor-

sùm producitur, et cum ventre angulum 45.°
efformat. Pedes omnino testacei. Alæ hyalinæ
immaculatæ.

DIV. IV. *Antennæ* ut in præcedentibus 11-12
articulatæ. *Abdomen* petiolatum, segmento an-
teriore maximo reliquà obtegente.

Ex. *Dipl. splendidula mihi*, (*V. pag. seq.*).

Hæc divisio antennis brevibus crassis, segmento anteriore
maximo, aculeo ferè recondito et sursùm reflexo ad divisionem
primam paululùm appropinquat, abdomine verùm longè petio-
lato satis recedit.

LXXVI.

LXXVI. DIPLOLEPIS SPLENDIDULA.

Diplolepis cærulea, thorace anticè aureo, abdomine longè petiolato.

Propè Novas inventa, rara.

Long. 1. 1/2 lin. Lat. 1. 1/2 lin.

Antennæ nigræ, articulo primo subtùs cæruleo. Corpus totum cæruleum, nitore metallico splendens : capite thoraceque punctis plurimis excavatis. Thoracis lobus anticus collaris aureus ad rubrum vergens. Scutellum porrectum, bidentatum, dentibus brevissimis oculo armato tantùm conspicuis. Abdomen læve, nitidum : segmento anteriore maximo, basi coarctato et petiolum efformante, apice dilatato campanuliformi reliqua segmenta recondente : petiolo sulcis tribus supra exarato. Pedes cærulei corpori concolores

femoribus tibiisque simplicibus, tarsis omnibus testaceis. Alœ hyalinæ, costâ punctoque nigris.

DIV. V. *Antennæ* ut in divisione secundâ. *Abdomen* longè petiolatum, segmento anteriore maximo, reliquis detectis conspicuis.

Ex. *Diplolepis peduncuiventris* et *pallicornis mihi* (V. *pag. seq.*).

LXXVII. DIPLOLEPIS PEDUNCULIVENTRIS.

DIPLOLEPIS viridi nitens, abdomine longè petiolato, pedibus pallidis.

Habitat in montibus Orerii, haud rara.

Long. 1. lin. 1. 1/5 lin.

Antennæ nigræ. Corpus totum viridi nitens, colore metallico splendente. Caput, mandibulis minutis nigris, palpis pallidis. Abdomen longè petiolatum, petiolo rugoso. Pedes testacei, trochanteribus nigro-viridibus. Alæ hyalinæ.

Mas vix minor. Antennæ pilosæ aut potius sericeæ, pilis brevibus decumbentibus, articulo primo sœpius testaceo. Pedes omnino testacei, exceptis trochanteribus corpori concoloribus. Abdomen apice rotundatum. Variat antennarum articulo primo rarius nigro-viridi.

Fœmina paulò major. Antennæ totæ nigræ, glaberrimæ, breviores. Pedes testacei, femoribus tibiisque basi nigriscentibus. Abdomen elongatum, acutum; terebrâ terminali exsertâ, brevi, dimidiâ abdominis longitudine.

LXXVIII. DIPLOLEPIS PALLICORNIS.

Diplolepis viridi nitens, abdomine longè petiolato, antennis pedibusque testaceis.

Habitat in montibus Orerii, rarior.

Magnitudine staturâque cum præcedente convenit et fortè ejusdem mera varietas. *Mas*, specimen unicum hactenùs observatum, a *Dipl. Peduncaliventri* M. antennis tentummodò differt. Antennæ *Diplolepis pallicornis* totæ testaceæ, pellucidæ, articulo primo obscuriore, supra nigrescente.

Div. VI. *Antennæ* 6-7 annulatæ, in maribus pilosæ. *Abdomen* subsessile, terebrâ rectâ exsertâ.

Ex. *Dipl. gallarum*, *brevicornis*, *rufescens*, etc.

Div. VII. *Antennæ* ut in præcedente. *Abdomen* longè petiolatum, lateraliter compressum.

Ex. *Dip. verticillata*, etc.

DIV. VIII. *Antennæ* ut in divisione septimâ. *Abdomen* petiolatum et supra complanatum.

Ex. *Dipl. petiolata* et *lateralis mihi* (V. *pag. seq.*).

LXXIX. DIPLOLEPIS PETIOLATA.

Diplolepis viridi cœrulea, abdomine longè petiolato, tarsis albis.

Habitat in montibus Orerii, rara.

Magnitudo præcedentium. Corpus totum cum antennis pedibusque viridi-cæruleum. Abdominis petiolum supra longitudinaliter sulcatum. Pedes viridi cærulei, femoribus posticis paulò crassioribus, tarsis omnibus albis apice nigris. *Maris* antennæ sericeæ, setis decumbentibus, articulo primo glabro.

LXXX. DIPLOLEPIS LATERALIS.

DIPLOLEPIS viridi-ænea, abdomine petiolato utrinque pallido.

Popè Novas inventa.

Long. 1. 1/3 lin. Lat. 1/3 lin.

Antennæ testaceæ 7-articulatæ, articulis cylindricis distinctis, primo longiore, ultimo incrassato. Caput viridi-æneum. Thorax concolor, lobo antico angustato ut in Diplolepibus divisionis tertiæ. Abdomen saturatius viridi-æneum, quasi nigrum, petiolo brevi lævigato pallido: reliquis segmentis medio viridi-æneis et utrinque pallidis: ventre toto testaceo. Pedes pallidi testacei. Alæ hyalinæ, costâ punctoque nigris.

LXXXI. CHALCIS BIGUTTATA.

Chalcis nigra, abdomine petiolato, femoribus posticis flavo extùs bimaculatis.

Habitat propè Genuam.

Long. 3. lin. Lat. 1. lin.

Antennæ nigræ, thoracis longitudine. Caput thoraxque nigra et scabra, punctis plurimis elevatis; puncto calloso ante alas flavo; pleuris pectoreque immaculatis. Abdomen concolor læve nitidum et petiolatum ut in *Ch. sispede*, petiolo breviore vix quartam abdominis partem longitudine æquante. Pedes nigri: anteriorum genubus flavis; femoribus posticis incrassatis, basi spinulâ validâ flavâ armatis, margine inferiore serrulatis, paginâ exteriore maculis duabus flavis; tibiis posticis arcuatis; tarsis omnibus brunneis. Alæ hyalinæ.

LXXXII. PSILUS SERICEICORNIS.

PSILUS totus niger, antennis concoloribus sericeo pilosis.

Habitat in montibus Orerii, rarus. Specimen unicum cepi in floribus umbellatis, mediâ æstate.

Mas. Antennæ filiformes 13-articulatæ, articulis cylindricis, distinctis, basi abruptè coarctatis; articulis 1.° et 2.° longioribus, glabris: 3.° minimo globoso sericeo villoso: reliquis subæqualibus villosis, villis brevibus decumbentibus: ultimo elongato, apice obtuso. Corpus totum nigrum, glabrum, nitidissimum. Caput, fronte anticè acuminatâ. Thorax lævigatus, lineolâ mediâ longitudinali anticè exaratus: lobo scutellari elongato, rugoso, spinulis duabus terminato rectis approximatis et posticè productis. Abdomen longè petiolatum: petiolo, dimidiâ abdominis longitudine, sulcis tribus

exarato : segmento secundo maximo campanœformi ; ultimo obtuso. Pedes elongati nigri : trochanteribus basilaribus seu coxis incrassatis ; trochanteribus secundis seu femoralibus elongatis et clavatis, quod in solis Psilis observatur ; femoribus tibiisque pariter clavatis ; tibiis tarsisque villosiusculis, basi obscurè brunneis. Alæ hyalinæ, pilosæ : superiores cellulis nullis ; nervi tres brachiales verùm, scilicet Radius Cubitus et Nervus alter brachialis oculo armato conspicui teriam alæ partem accedunt. Punctum magnum quadratum. Anastomosis transversa Cubitum cum Nervo brachiali conjungit ; altera minor prodit a puncto et retrorsùm parum producitur. Hæc species ideò ad normam naturæ propè Psilos locanda, fortè Jurineanâ methodo novum genus reposcit.

D.o Jurine debeo Psilorum species quatuor hùc usque ineditas et in Liguriâ nondùm inventas, quarum descriptionem lector entomologus probabiliter gratam et acceptam habebit.

Psilus primus. Long. 1. lin. Lat. 1. 1/6 lin.

Antennæ propè mandibulas insertæ, infractæ, 12-articulatæ, articulo primo longissimo, testaceo, tertiam antennæ partem æquante: sequentibus usque ad octavum inclusivè minimis, vix distinctis, obscurè brunneis; ultimis quatuor crassississimis, distinctis, nigris, clavam perfoliatam efformantibus. Corporis totius color niger. Scutellum unispinosum, spinâ tenui elongatâ, acutâ, posticè productâ. Abdomen thoracis longitudine, apice rotundatum. Pedes testacei; trochanteribus femoralibus femoribus tibiisque clavatis: tibiis posticis apice nigrescentibus. Alæ hyalinæ ut in reliquis Psilis. — Antennarum forma et situs hoc insectum Scelionibus latreilleanis adnumerant.

Psilus secundus. Prœcedente paulò minor, differt scutello mutico, coxis femoribus tibiarumque apice nigris, abdominis segmento ultimo elongato et acutissimo. Reliqua conveniunt. Nonne fæmina ejusdem speciei?

Psilus tertius. Long. 1/2 lin. Lat. 1/8 lin. Antennæ infractæ, propè mandibulas insertæ, totæ

nigræ : articulo primo longissimo : cæteris brevibus, obconicis, distinctis, et gradatìm crescentibus; ultimo ovato. Corpus totum nigrum; scutello gibboso, mutico. Abdomen subsessile, apice obtuso. Pedes toti nigri, femoribus tibiisque paululùm compressis et minus incrassatis quàm in præcedentibus. Alæ Psilorum. Nonne *Scelio* Latr. ?

Psilus quartus, fæmina præcedentis mihi videtur. Differt tantummodò, abdominis segmento ultimo longissimo acuto, terebrâque (vel aculeo) exsertâ et oculo validâ lente armato conspicuâ.

LXXXIII. LEUCOSPIS INTERMEDIA.

LEUCOSPIS nigra, maculis duabus flavibus humeralibus; coxis posticis flavo latè fasciatis.

Habitat in totâ Liguriâ, haud infrequens. Specimina plura propè Novas inveni, attamen observationes sequentes partìm debeo D.° BONELLI inclyto entomologo *Augustæ Taurinorum* commoranti et auctori operis cunctis entomolophilis exspectatissimi cujus erit titulus *Specimen faunæ sub-alpinæ.*

Fœmina. Long. 4. ½ lin. Lat. 1. ⅕ lin. Antennæ nigræ, articulo primo toto flavo. (Antennarum articulus primus totus niger in *Leuc. dorsigerâ*, supra niger et subtùs flavus in *Leuc. gigante*). Corpus totum subtilissimè punctum. Caput nigrum immaculatum. Thorax, lobo anteriore quadrato toto flavo marginato: intermedio, li-

neolis duabus flavis obliquis propè alarum basim, puncto calloso obscuro; scutello mutico, lineâ transversâ integrâ flavâ. Abdomen, fasciis quatuor flavis; secundâ exiguâ latè interruptâ: tertiâ maximâ: terebrâ abdominis longitudine. Pedes quatuor antici nigri, femorum apice tibiis tarsisque flavis, tibiis anticis extùs nigrescentibus, coxis intermediis puncto flavo minutissimo in medio notatis: postici, coxis nigris flavo latè fasciatis, femoribus incrassatis serrulatis subtùs nigris extùs flavis et apice nigris, tibiis arcuatis flavis latere interno nigris, tarsis flavis. Alæ nigræ.

Differt a *Leuc. dorsigerâ*, præter flavedinem articuli primi antennarum, lineolis flavis humeralibus, abdomine quadrifasciato, pedibus dissimili ratione flavo maculatis: a *Leuc. gigante* fronte thoracisque dorso immaculatis, et præsertìm scutello mutico.

Mas. Long. 3. 1/2 lin. Lat. 2/3 lin. Antennæ totæ nigræ. Caput immaculatum. Thorax, quadrato flavo lobi anterioris utrinque anticè interrupto; lineolis humeralibus nullis: scutello ut in sexû

altero. Abdomen, fasciis tribus integris punctoque terminali flavis. Pedes ut in fæminâ, maculis flavis minoribus. Satis differt a *Leuc. gigante* scutello mutico et a *Leuc. dorsigerâ* coxis posticis flavo subtùs maculatis.

Fascia denique flava coxarum posticarum in utroque sexû satis conspicua, hanc speciem separat a reliquis congeneribus. *Fœminam* inveni in gallâ fungosâ coronatâ mespiliformi Quercus ramulorum, in montibus Orerii.

LXXXIV.

LXXXIV. CHRYSIS EMARGINATULA.

Chrysis viridi nitens, abdomine aureo apice emarginato.

Habitat propè Novas, rarissima.

Lon.g 4. lin. Lat. 1. 1/3 lin.

Statura *Chrys. austriacœ*, at distincta. Antennæ nigrœ, articulo primo subtùs cœruleo. Corpus totum ut in plerisque Chrysidibus confertissimè punctum, splendore metallico nitens. Caput viridi cœruleum, posticè nigrum. Thorax cum pectore pariter viridi cœruleum: margine antico tenuissimo maculâque mediâ quadratâ nigris : scutello lœtè viridi-aureo. Abdomen aureum, unicolor, apice sensìm emarginatum. Venter dorso concolor. Pedes viridi-cœrulei, tarsis omnibus testaceis. Alæ hyalinæ, cœllulâ radiali incompletâ ut in Hedychris. (*Mas?*)

Observatio. *Chrysides* habitû et partibus oris ab *Hedychris* satis distinctæ, cum ipsis necessariò confundentur, si alarum cellulæ in generibus condendis solæ adhibeantur. Cellula cubitalis reipsâ in Chrysidibus completa et incompleta in Hedychris invenitur et cætera perfectè conveniunt. Tamen incompleta interdùm reperitur etiam in nonnullis veris Chrysidibus. Ex. *Chrys. emarginatula mihi, comparata* et *Jurinæ Lepel., scutellaris* et *purpurata Fab.* etc.

LXXXV. CHRYSIS VERSICOLOR.

Chrysis viridi-aurea, capite cœruleo; abdominis apice integro.

Habitat passim in Liguriâ, haud infrequens.

Long. 2. 1/2 lin. Lat. 1. lin.

Fœmina. Antennæ nigræ, articulo primo cæruleo. Caput viridi nitens, vertice atro-cæruleo. Thorax versicolor, minus splendens quàm in cospeciebus, viridi-aureus et etiam alicubi sordidè purpurascens: maculâ mediâ quadratâ lobique scutellaris parte posteriore ferè omnino viridibus. Abdomen thoraci concolor, apice rotundato integro. Corpus subtùs viride. Pedes viridi-cœrulei, tarsis nigris. Alæ obscuræ.

Mas omnino similis, tarsis tantùm pallidis. Tarsi testacei vel pallidi sæpe, hoc in genere, marium constituunt peculiarem characterem.

Chrysis versicolor proxima videtur *Chrys. glo-*

siosæ Fab. et *Hybridæ Lepel.* sed sententiâ amborum naturæ scrutatorum D.[i] Latreille et D.[i] Lepeletier multis characteribus ab ipsis discrepat. D. Lepeletier in epistolâ datâ die 21 mense 8.[bris] anno 1807, « *Chrys. hybride, mâle.* » L'individu envoyé sous ce nom par M.[r] Spinola » est un mâle......... il diffère de l'*Hybrida* et du » *Gloriosa, Fab* par ces tarses pâles et autres „ caractères qui me le font regarder comme » nouveau. » et D. Latreille in epistolâ alterâ datâ die 15 mense 8.[bris] anno 1807. « 11. » *Chrys*....... Je la crois différente du *Gloriosa.* » *Chrys. gloriosa* et *hybrida* in Liguriâ nondùm inventæ et mihi invisæ.

LXXXVI. FORMICA AXILLARIS.

Formica nigra, capite antennarum basi maculisque duabus humeralibus rubris.

In Liguriâ rara, habitat in montibus Orerii, sub lapidibus nidificans.

Long. 2. lin. Lat. 1/3 lin.

Operaria. Antennæ basi rufæ, apice nigræ; articulo primo longissimo et sequentibus usque ad quartum inclusivè rufis, reliquis nigris. Caput rubrum. Thorax niger, maculis duabus humeralibus obscurè rubris plus minusve distinctis; dorso interrupto : lobo scutellari gibboso, posticè truncato, sub-emarginato. Abdomen nigrum, pilis brevissimis raró dissitis; squamâ petiolati crassâ, margine supero rotundato. Pedes nigri, genubus tarsisque brunneis. — Ad *Form. camelinas* Latr. spectat.

Confer cum *Formicâ laterali*, *Latr. hist. des fourmis pag.* 172, ut verisimile est, ejusdem speciei fæminâ.

LXXXVII. FORMICA TRUNCATA.

FORMICA nigra, capite rubro anticè abruptè truncato.

Habitat *in montibus* Orerii : fœminas alis amissis reperi in gallâ mespiliformi coronatâ Quercus ramulorum.

Long. 3. lin. Lat. 1/2 lin.

Fœmina. Antennœ in medio frontis insertœ, basi rufœ, apice nigrescentes. Caput rufum, anticè abruptè truncatum, facie anteriore lineolis duabus longitudinalibus exaratâ : mandibus crassis validissimis triangularibus, intùs multidentatis. Thorax lœvissimus muticus, supra niger, medio rufescens; dorso neutiquam interrupto. Abdomen nigrum; petiolo uniarticulato, squamâ petiolari integrâ rotundatâ : segmento tertio basi albicante pellucido. Pedes rufi, femoribus obscurioribus. Alœ desunt. Operarias maresque nondùm detegere potui.

LXXXVIII. GORYTES COARCTATUS.

GORYTES abdominis segmentis quinque flavo fasciatis, anteriore coarctato.

Habitat propè Novas haud infrequens.

Long. 4. lin. Lat. 1. lin.

Antennæ nigræ, articulo primo subtùs flavo. Caput nigrum, labro detecto mandibulisque concoloribus : clypeo maculâque frontali propè clypeum flavis. Thorax niger; margine antico, puncto calloso ante alas, lineolâ scutellari transversâ, flavis : lobo postico absque scutulo triangulari et striato in reliquis Gorytibus observato. Abdomen nigrum: segmento primo ad instar petioli coarctato, margine flavo, 2.° 3.° 4.° et 5.° pariter flavo fasciatis, fasciâ segmenti secundi utrinque auctâ : 6.° nigro immaculato. Corpus

totum subtùs nigrum, supra subtilissimè et confertissimè punctum, punctis abd ominalibus rarioribus. Pedes quatuor antici nigri, tibiis tarsisque flavis; postici, tibiis flavis fasciâ mediâ nigrâ, tarsis nigro annulatis. Aloe Arpactorum jurineanorum.

Variat fasciis duabus abdominis anterioribus medio interruptis.

LXXXIX.

LXXXIX. GORYTES LATIFRONS.

GORYTES nigra, fronte latâ flavo variegatâ, abdominis segmentis quinque anterioribus flavo marginatis.

Habitat propè Genuam, haud infrequens, sæpissimè captus in loco dicto *Marassi.*

Long. 4. lin. Lat. 1. lin.

An hujus generis? *Fœmina.*—Antennæ propè clypeum insertæ, ori propiores quàm in reliquis *Gorytibus*, nigræ, subtùs flavescentes: articulo primo variabili, quandoque toto flavo, quandoque nigro apice tantùm flavo. Caput magnum dilatatum ut in *Philanthis*, *Mellinis* et *Cerceridibus*: fronte plus dimidio faciei anterioris latâ, margine antico lineolâque utrinque longitudinali propè oculos flavis; clypeo transverso, brevi, latissimo, in plerisque speciminibus omnino flavo, rarius margine undique nigro; mandibulis bidentatis. Corpus totum subtilissimè

et confertissimè punctum. Thorax niger, margine antico, puncto ante alas, lineolâque transversâ scutellari flavis; variat punctis lateralibus cum margine antico connatis. Abdomen, segmentis quinque anterioribus flavo latè marginatis, fasciis subæqualibus; segmento primo basi ferè truncato; secundo majore; ventre nigro immaculato, aculeo exserto arcuato piceo. Pedes flavi, coxis trochanteribus femorumque basi nigris: globulo membranaceo inter unguiculos terminales nigro et conspicuo. Alæ hyalinæ, maculâ nigrâ costali post stigma: cellula cubitalis secunda nervos duos recurrentes excipit ut in *Arpactis* jurineanis. — *Mas* mihi dubius.

Observatio. *Gor. cinctus, quadrifasciatus, ruficornis*, etc. longè distant capitis formâ; in istis oculi maximi frontem utrinque coarctant. Frons arctissima linearis vix ad quartam partem accedit faciei anterioris. Clypeum ferè rotundum. Hæ differentiæ inter partium capitis dimensiones symptomata haberi possunt diffe-

rentiarum majoris pretii inter cibaria instrumenta quæ acuratiùs perscrutatæ ad novum genus condendum fortè satis esse videbuntur. Sufficiat ad interim *G. Gorytes* in sectiones duas dispescere.

SECT. I. Frons plus longior quam latior. Ex. *Gor. cinctus*, *quadrifasciatus*, *ruficornis*, *arpactus*, *coarctatus*, etc.

SECT. II. Frons plus latior quam longior. Ex. *Gory. latifrons* et *affinis mihi*, *Pomp. cruentus* et *tumidus Fab*, *Arpactus formosus Jur.* etc.

XC. GORYTES AFFINIS.

Gorytes nigra; abdomine basi rubro, maculis quatuor albis.

Propè Novas inventa, rara. Specimina duo tantùm cepi mediâ æstate in floribus umbellatis, unum misi ad D. Jurine, alterum servavi et quamvis mutilatum typus erit nostræ descriptionis.

Affinis certè *Pomp. tumido*, *Panz. fasc.* 81. *fig.* 15, et fortè ejusdem mera varietas aut sexus alter. *Fœmina.* Antennæ totæ nigræ. Caput concolor, labio detecto albo; clypeo itidem albo et basi maculâ nigrâ notato; maculâ utrinque propè oculos, punctoque parvo triangulari inter antennas albis. Thorax niger, puncto laterali ante alas albo. Abdomen, segmentis 1.° et 2.° rubris pellucidis immaculatis : 3.° et 4.° nigris, margine albo interrupto; 5.° nigro, puncto albo marginali in medio notato; 6.° immaculato,

acuto, supra sulcato. Venter dorso concolor, maculis albis nullis. Pedes nigri, tarsis ferrugineis: antici, tibiis extùs albo maculatis. Alæ hyalinæ, cellulis ut in Arpactis jurineanis.

Pomp. tumidus ratione habitâ panzerianæ descriptionis (nam tabulam monet esse mendosam ipse D. Panzer. V. *Krit. revis. pag.* 169.), differt 1.° antennarum articulo primo subtùs albo; 2.° puncto albo scutellari; 3.° segmento quarto nigro immaculato; 4.° pedibus quatuor anticis ferrugineis, tibiis posticis tarsisque fuscis. Specimen verò ad D. Jurine missum, ni memoria me fefellerit, locum tenebat medium inter alterum hùc descriptum et *Pompilum tumidum.*

Mas hesterno die acceptus, et D.no BONEILLI. Singulari benevolentiâ donatus, differt antennis subtùs albis 13-articulatis, articulo ultimo lunato, thoracis margine antico lineolâque transversali in scutello pariter albis, abdomine 7-annulato, segmentis duobus anterioribus rufis, secundo lineolis duabus albis transversalibus et ferè connatis propè maginem notato, reliquis nigris propè marginem

albido fasciatis, fasciis angustatis mediò sub-interruptis, ultimo immaculato, ventre toto nigro.

ADONATIO. De affinitate speciei nostratis cum *Pomp. tumido* dubia tandem expediit *D. Jurine* in epistolâ datâ die 28 Januarii 1808. « *Arpactus* » *tumidus ?* Ce n'est pas cette espèce. La vôtre » est nouvelle, je l'ai nommée *Spinolæ.* Je ne » la connaissais pas encore. »

XCI. ALYSON ATER.

ALYSON totus niger, alis hyalinis.

Habitat propè Genuam, rarus. Anno 1805, mediâ æstate, specimina tria inveni in loco dicto *Marassi* paululùm interquiescentia super folia Coryli avellanæ. Primum misi ad D. LATREILLE, alterum ad D. JURINE, tertium denique pictoris negligentiâ amisi. Servatâ tantùm tabulâ incorrectâ (1), descriptionis meram adumbrationem delineare conabor, nec de genere certo asserere potero, nec utriusque sexûs peculiares characteres asseveranter indicabo.

Magnitudo media. Corpus totum nigrum unicolor. Caput magnum, transversè dilatatum ut in Philanthis, Mellinis, Cerceridibus, et in nostrâ

---

(1) *Tabulæ errores.* 1.o Thoracis lobus anticus striatus et elongatus; 2.o striæ lobi scutellaris nimis numerosæ; 3.o alarum delineatio ab *Alysonibus* perperàm mutuatæ.

divisione secundâ Gorytium: fronte argenteo villosâ. Thorax, lobo scutellari ut in *Alysonibus* producto striato, sed neutiquam coangustato. Abdomen subsessile, segmentis margine coarctatis ut in Cerceridibus: anteriore, magnitudine sequentium. Pedes nigri. Alæ hyalinæ.

Hæc species nostras, ut opinantur D. LATREILLE et JURINE, typus novi generis haberi potest. Primus in epistolâ datâ die 9 aprilis anno 1807. « *Insectum mihi dubium, Myrmosa atra ?*........
» c'est un insecte qui a presque tous les ca-
» ractères des Tripoxilons, mais les antennes et
» la forme du ventre sont différens. Nouveau
» genre. Je l'ai trouvé dans le midi de la France ».
et D. JURINE in alterâ datâ die 24 Julii, eodem anno. « *Alyson ?*....... C'est un genre nouveau
» pour moi, voisin de l'*Alyson*, mais non lui ».
Duplice viâ et diversâ methodo genus novum illustratum exspecto et viris de entomologiâ benemeritis toto corde gratias ago.

ADNOTATIO. D. JURINE in epistolâ datâ die 1 febb. 1808 novi generis characteres mecum benignè

benignè communicavit. « Voici la description
» générique de votre *Alyson.* — PISON, genre
» nouveau.

» *Cellula radialis* una, magna, oblonga, in
» infimâ parte undulata.

» *Cellulæ cubitales* tres : 1.^{a} ferè quadrata;
» 2.^{a} minutissima, longè petiolata, excipit ad
» ejus originem 1.^{um} nervum recurrentem; 3.^{a} ab
» apice alæ longè remota, magna, 5-gona,
» excipit secundum.

» *Mandibulæ* arcuatæ, unidentatæ, longitu-
» dinaliter sulcatæ.

» *Antennæ* 13-articulis compositæ, apice con-
» volutæ.

» *Palpi anteriores* 6-articulis ferè æqualibus
» compositi.

» *Palpi posteriores* 4-articulati, articulis æqua-
libus.

» *Maxilla* cornea, brevissima.

» *Labium* corneum, canaliculatum. (1).

---

(1) Labium probabiliter cum mento hìc confunditur, et in ca-
davere vix conspicuum, adhuc observandum remanet.

» *Observationes.* Oculi leviter emarginati. Tho-
» rax posticè sulcatus, in sulco carina elevata.
» Segmenta abdominis posticè contracta.

» La grande analogie qu'il y a entre cette
» insecte et les *Alysons* m'engagera à attendre
» d'avoir une femelle pour établir ce genre,
» parce qu'il serait possible que les mâles diffé-
» rassent assez sensiblement de leurs femelles,
» soit par leurs yeux, soit par leur corselet,
» soit par leurs mandibules, soit enfin par de
» légères modifications dans les cellules de leurs
» ailes. Faites en donc en attendant ce que vous
» voudrez. ». Nomen triviale in meo arbitrio
derelictum, ut suadent amicitia et summi ma-
gistri veneratio, erit mihi PISON JURINI,

XCII. ODYNERUS SPIRICORNIS.

Odynerus niger, antennis convolutis, segmentis abdominalibus flavo marginatis.

Habitat propè Genuam, rarus.

Long. 10. lin. Lat. 1. 1/2 lin.

Mas. Antennæ 13-articulatæ; articulo primo nigro subtùs flavo; 2.° 3.° et 4.° nigris, subtùs testaceis; 5.° et 6.° omnino testaceis: ultimis septem compressis, complanatis, in spiram convolutis, albicantibus, intùs testaceo maculatis: articulo terminali paulò incurvo, uncinato. Corpus totum subtilissimè et confertissimè punctum. Caput nigrum: labio detecto, clypeo, maculâ parvâ inter antennas, alterâ vix conspicuâ utrinque ponè oculos, flavis. Thorax niger: margine antico, alarum squamulâ, puncto laterali utrinque, lineolâ transversâ scutellari, flavis. Abdomen, segmentis sex anterioribus margine flavis; seg-

menti secundi fasciâ marginali remotissimâ et utrinque acutâ : septimo nigro maculâ flavâ in medio notato; ventre nigro, annulo secundo flavo latè marginato. Pedes flavi, coxis trochanteribus femorumque basi nigris. Alæ obscuræ, basi parum flavescentes.

Fœmina decst.

D. Jurine hoc specimen probabiliter sub oculis habebat cum dixerit. « J'ai reçu de M. » Faure-Biguet, une espèce de guèpe inédite » et indigène, qui est aussi grosse que l'*Oculata*, » et dont les cinq ou six derniers anneaux des » antennes du mâle sont applatis et repliés sur » eux-mêmes, plus fortement que dans l'*An-* » *drene spirale* ».

XCIV. MEGACHILE APICALIS.

Megachile nigra, cinereo pubescens, ventris lanâ niveâ apice nigrâ.

Specimen unicum in agro albisolensi captum misit mihi *D. Franciscus Debarbieri.*

Long. 4. 1/2 lin. Lat. 1/2 lin.

Meg. argentatæ proxima at distincta.—*Fœmina.* Antennæ nigræ. Caput, fronte cinereo villosâ; mandibulis quadridentatis, dente interiore remoto ferè retuso. Thorax supra glaber, villis perpaucis in lobo scutellari. Abdomen triangulare, segmentis quatuor anterioribus margine utrinque albido ciliatis: quinto toto margine villoso albido: ultimo immaculato. Venter lanâ induitur albidâ in segmentis anterioribus et nigrâ in ultimis. Pedes nigri cinereo parum villosi. Alæ hyalinæ.

Mas incertus. Mores ignoti.

Meg. Willughbiella lanâ ventrali basi rufâ facilè distinguitur.

XCV. TACHYTES NIGRIPENNIS.

TACHYTES nigra, abdomine basi rubro, alis fuscescentibus.

Habitat propè Genuam, haud rara in sabuletis.

Long. 5. lin. Lat. 1. 1/3 lin.

Mas mihi incertus. — *Fœmina* staturâ et habitû *Tach. tricolori* affinis at manifestò distincta. Antennæ caput et thorax nigra. Mandibulæ extùs calcaratæ ut in reliquis Tachytibus. Labii divisiones laterales nullæ in veris *Larris*, satis conspicuæ hac in nostrâ specie. Abdomen abbreviatum, longitudine thoracis : segmentis duobus anterioribus saturatè rubris ; reliquis nigris immaculatis, absque lunulis albis. Pedes toti nigri. Alæ semper fuscescentes.

Species hæc ab omnibus *Larris* distinguitur instrumentis cibariis et abdomine abbreviato, a *Tach. tricolore* distat abdomine absque maculis albis et alis obscuris.

OBSERVATIO. G. TACHYTES. *Panz.* LYROPS *Illig.* ratione tantùm habitâ partium oris sedem peculiarem repetit in fabriciano systemate, et etiam ad alarum cellulas attendendo tanquam novum genus jurineanâ methodo admitti potest.

G. TACHYTES. — *Cellula radialis* una, mediæ magnitudinis, latè appendicea. *Cellulæ cubitales* tres; prima magna; 2.a minor, nervos duos recurrentes excipit; tertia 4-gona, nunquam lunata, alæ apicem non attingit.

XCVI. CRABRO CRASSICORNIS.

CRABRO niger, antennis medio incrassatis, abdominis segmentis utrinque flavo maculatis.

Habitat propè Genuam, rarissimus.

Long. 2. $^1|_2$ lin. Lat. 1. $^1|_3$ lin.

Mas. Antennæ speciosissimæ, articulo primo longissimo cylindrico flavo, secundo parvo concolore, sequentibus quatuor maximis depressis dilatatis vix distinctis, reliquis subcylindricis gradatìm decrescentibus, ultimo acuto. Caput nigrum, fronte clypeoque argenteo villosis. Thorax niger immaculatus. Abdomen nigrum, 7-annulatum : segmentis quinque anterioribus flavo utrinque maculatis, maculis segmenti quinti in fasciam connatis ; ventre nigro unicolore. Pedes flavi, coxis omnibus femoribusque posticis nigris.

Fœmina desideratur.

Finis fasciculi quarti.

TABULARUM EXPLICATIO.

TAB. I.ª

Fig. I. a. *Tachus dimidiatus*, magnitudine naturali. b. Idem auctus. c. Pes posticus. d. Ala superior. e. Abdomen fæminæ. f. Caput cum antennis.

Fig. II. a. *Cerceris major fœmina*, magnitudine naturali. b. Caput cum antennis. c. *Mas.*

TAB. II.ª

Fig. III. a. *Omnia latreillii mas*, magnitudine naturali. b. eadem aucta.

IV. *Heriades sinuata mas* aucta, adjectâ scalâ longitudinali.

V. Abdomen *Heriadis pusillæ* M. adjectâ scalâ longitudinali.

VI. a. *Anthophora lævigata.* b. Maris caput. c. Ejusdem pes intermedius.

VII. *Pasites atra.* Insectum hoc pictoris negligentiâ amisi; de specie et de genere adhuc dubito.

VIII. *Tenthredo erythrogona* aucta, adjectâ scalâ longitudinali.

TAB. III.ª

Fig. IX. a. *Osmia andrenoides mas* aucta. b. Fæminæ abdomen.

X. a. *Diplolepis adonidum* aucta. b. Abdomen. c. Scala longitudinalis.

XI. *Diplolepis cuprea* aucta; adjectâ scalâ longitudinali. b. Abdomen fœminæ.

XII. *Alyson ater* seu *Pison jurini* auctus, adjectâ scalâ longitudinali.

T AB. I V.[a]

Fig. XIII. *Tenthredo similis* aucta, adjectâ sc. long.
Fig. XIV. *Hylotoma thoracica* aucta, adj. sc. long.
XV. *Tenthredo dorsalis* aucta, adj. sc. long.
XV. *Nematus hæmmorhoidalis* auctus, adj. sc. long.
XV. *Chrysis analis* aucta, adj. sc. long.
XVI. *Chrysis emarginatula* aucta, adj. sc. long.,

T AB. V.[a]

Fig. XVII. *Chrysis versicolor* aucta, adj. sc. long.
XVII. *Chrysis austriaca* aucta, adj. sc. long. (1).
XIX. *Pompilus tripunctatus* auctus. adj. sc. long.
XX. *Pompilus fasciatellus* auctus, adj sc. long.
XXI. *Nysson nigripes* auctus, adj. sc. long.
XXII. *Gorytes coarctatus* auctus, adj. sc. long.

---

(1) Pateant characteres quibus a *Chryside emarginatulâ* sejungenda nobis visa fuit.

ERRATA.

FASCICULUS 2.us

Pag. 1. lin. 17. LASPERES *lege* LASPEYRES.

4. lin. 2. lobum. intermedium. *lege* lobum intermedium.

id. lin. 12. *Mentum* rufum *lege* *Mentum* rectum.

5. lin. 13. secondo *lege* secundo.

10. lin. 20. snbæqualibus *lege* subæqualibus.

13. lin. 13. cnm *lege* cum.

17. lin. 13. lincola *lege* lineola.

20. lin. 16. *Post* evulgata *adde:* Confer cum *Nemato nigro jur. Tab.* 6. *fig.* 5.

22. lin. 12. familiæ 2.a et 5.a *lege* familiæ 2.a et 3.a

24. lin. 14. et 15. *Carculiones* lege *Curculiones.*

36. lin. 14. validè *lege* valde.

37. lin. 1. POMPILIUS *lege* POMPILUS.

49. lin. 1. *Coryli colurnœ* lege *Coryli avellanœ.*

57. lin. 8. inventà *lege* inventa ,

id. lin. 9. amandandam *lege* amandanda.

58. lin. 4. *Ceratinibus*. lege : *Ceratinis.*

64. lin. 21 et 22. toti corporis *lege* totius corporis. *Error repetitus pag.* 66. *lin.* 2.

68. lin. 2. talem *lege* tale.

id. lin. 13. rufò albidà *lege* rufo-albidà.

79. lin. 17. hoc anno. *Quoties invenies hanc elocutionem, semper intelligitur de anno* 1807 *et de medià œstate aptiore tempore ad insectorum venationem.*

FASCIC. 3.us

Pag. 86. lin. 7. varus *lege* verus.
id. lin. 14. toti corporis *lege* totius corporis.
100. lin. 1. temmatibus *lege* stemmatibus.
104. lin. 5. Coryli colurnæ *lege* Coryli avellanæ.
106. lin. 7. villosiusiusculum *lege* villosiusculum.
120. lin. 5. n Liguriâ *lege* in Liguriâ.
123. lin. 16. femorum posticarum *lege* femorum posticorum.
132. lin. 4. iu *lege* in.
137. lin. 6. minutissimnm *lege* minutissimum.
147. lin. 16. fuscecentes *lege* fuscescentes.
148. lin. 2. et 3. fasciolis duabus in Abdomen, etc. *lege* fasciolis duabus fuscis. Abdomen, etc.
152. lin. 5. (*Lini Lat.*) *lege* (Lin. Latr.)
163. lin. 3. Cynips *lege* Cynips.
171. lin. 7. *Ceropales rufIcollis* lege *Ceropales ruficollis*.
id. lin. 9. *Post* habebit *adde*: Confer cum *Arpacto formoso jur*.
172. lin. 16. POMPILUS PLUMBEUS.. *Species hoc sub nomine tradita omnino diversa nunc mihi videtur et probabiliter adhuc inedita latebat. Verus* Pompilus plumbeus *mera varietas habeatur* Pomp. pulchri.
177. lin. 4. minutæ *lege* munitæ.
179. lin. 6. sæpæ *lege* sæpe.
187. lin. 5. couvenit *lege* convenit.
id. lin. 10. proprior *lege* propior.
180. lin. 20. *ODYNERIS* lege *ODYNERUS*.

190. lin. 6. *EUMENES ZONALIS. - De genere dubito. Mandibulæ breves triangulares hanc speciem adsociant* Vespis cyanipenni, rejectæ, atrophicæ *inter* Polistes D.° FABRICIUS *derelictis.*

Pag. 195. lin. 13. egeneris *lege* generis.

199. lin. 21. prossunt *lege* possunt.

206. lin. 2. *post* hyalinis *adde*: corporeque dimidio brevioribus.

FASCICULUS 4.us

pag. 211. lin. 12. *Post adonidum adde: sphegum, rubi, etc.*

216. lin. 19. unus *lege* unum.

233. lin. 10. teriam *lege* ad tertiam.

236. lin. 3. flavibus *lege* flavis.

243. lin. 14. petiolati *lege* petiolari.

251. lin. 15. D.° BONEILLI *lege* D.° BONELLI.

Prætermissis innumeris interpunctionis erroribus, cætera benevolus lector corrigat.

Fig:ra I.
a
b
c
d
e
f
Fig:ra II.
a
b
c

Fig.ra III.
a
b
Fig.ra IV.
Fig.ra V.
Fig.ra VI.
a
b
c
Fig.ra VII.
Fig.ra VIII.

Tab.la III. a. Fig.ra IX.

b.

Fig.ra X.

a.

b.

Fig.ra XI.

a.

b.

Fig.ra XII.

Tab.la V.
Fig.ra XIX.
Fig.ra XX.
Fig.ra XXI.
Fig.ra XXII.
Fig.ra XXIII.
Fig.ra XXIV.